THÈSE DE
PARIS.
1883.
N°. 55.

DE CONCESSU
LEGIS ET AUXILII
TERTIO DECIMO SÆCULO

ANTE FACULTATEM LITTERARUM PARISIENSEM

DISPUTABAT

JULES FLAMMERMONT
Scholæ cartarum olim alumnus ad doctoris gradum promovendus

PARISIIS
APUD BIBLIOPOLAM ALPHONSE PICARD
82, VIA BONAPARTE, 82

MDCCC LXXXIII

DE CONCESSU

LEGIS ET AUXILII

TERTIO DECIMO SÆCULO

PARISIIS, EX TYPIS A. LAHURE

DE CONCESSU
LEGIS ET AUXILII
TERTIO DECIMO SÆCULO

ANTE FACULTATEM LITTERARUM PARISIENSEM

DISPUTABAT

JULES FLAMMERMONT
Scholæ cartarum olim alumnus ad doctoris gradum promovendus

PARISIIS
APUD BIBLIOPOLAM ALPHONSE PICARD
82, VIA BONAPARTE, 82

MDCCCLXXXIII

URBANISSIMO VIRO

HENRI TIVIER

FACULTATIS LITTERARUM BISONTINÆ DECANO

Hoc gratissimum reverentiæ et devotionis testimonium

D. D. D.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41546323_0033

DE CONCESSU
LEGIS ET AUXILII
TERTIO DECIMO SÆCULO

PRÆFATIO

« Undecimo sæculo, inquit magnus quidam rerum scriptor, quum bene constituta esset feodalitas, qui feodum, sive magnum sive parvum, tenebat, is in terra sua omnia jura dominatus sibi vindicabat. Nulla enim externa remotaque potestate imponebantur leges, vectigalia statuebantur jusquedicebatur; domini solius in potestate hæc omnia erant. Id fuit, saltem principio omniumque communi sententia, jus feodalitatis. Quod quidem sæpe contemptum, postea in controversiam ductum, postremo a majoribus potentioribus que dominis,

quorum in numero reges adscribendi sunt, usurpatum fuit. Attamen stabat et quasi primitus ipsa rerum natura conditum et institutum vindicabatur. Scriptores, feodalitatis fautores, quum conqueruntur, quod humiliorum dominorum potestas a majoribus baronibus rursusque majorum baronum dominatus a regibus sit occupatus, recte quidem censent : ita enim se res habuit. Principio quod ad jus attinet ejusque instituti rationem, in terra sua dominus quisque instituendarum legum auctoritatem et judiciale atque castrense imperium exercebat, bellum gerebat, pecuniam cudebat, generisque ejusdem cetera faciebat ; ut uno verbo omnia complectar, dominatu fruebatur[1]. »

Per duorum sæculorum tenorem reges constanter illud moliti sunt ut suam ipsorum auctoritatem in terram dominorum majorum proferrent ; eodem tempore, crescente in dies humaniore cultu, necesse erat constitui imperium quoddam efficax, quod, quum illuc cuncta vergerent, posset humillimo cuique jus reddere rerumque ordinem, utpote qui jam votis omnium vocari cœpisset, stabilire. Sed desiderantur documenta, quibus, quid effecerit regia potestas, manifestius appareat. Tum quidem constat reges connisos fuisse ut extra suos ipsorum fines legum imperium exercerent totumque per regnum subsidia colligerent. Nondum autem illi

1. Guizot, *Histoire de la civilisation en France*, t. III, p. 55.

in terra vassalorum, nisi horum assensu, leges instituendi jus exercere poterant.

Propositum est nobis in hoc opusculo inquirere quomodo Francorum reges effecerint ut tertio decimo sæculo in finem vergente, toto regno, vassalis vel nolentibus, stabilimenta edicerent et auxilia exigerent.

CAPUT I

Tertio decimo sæculo adhuc ineunte, baro quisque in sua terra summo imperio potiebatur, utpote qui justitiam altam et bassam haberet legesque, vassalis suis annuentibus, condere posset. Hoc jus, cujus exempla pauciora quidem ea causa repeRiuntur quod in illis adhuc rudibus temporibus pauciores fiebant leges, omniaque regebantur consuetudine, jurisconsulti, potestatis regiæ adaugendæ vel cupidissimi, agnoscere cogebantur[1].

Vergente in finem duodecimo sæculo, hoc majoribus baronibus maximæ curæ fuit, baronniis atque amplis feudis dividendis, ex quo illis gravissima detrimenta eveniebant atque vassalorum proximorum crescebat potentia, finem imponere. Qua de re anno MCLXXXV, Britanniæ dux hoc stabilimentum edidit :

« Cum in Britannia super terris inter fratres divi-

1. *Établissements de Saint Louis*, édition Violet, t. I, p. 36 : « Bers si a toutes joutises en sa terre, ne li rois ne puet mettre ban en la terre au baron sans son asantement; ne li bers ne puet mettre ban en la terre au vavasor, sans l'asantement au vavasor. »

dendis detrimentum plurimum terræ soleat evenire, ego Godefridus, Henrici regis filius, dux Britanniæ, et comes Richerimontis, utilitati terræ providere desiderans, petitioni episcoporum et baronum omnium Britanniæ satisfaciens, communi assensu, assisiam feci et concessi quod in baronniis et feodis militum ulterius non fierent divisiones. . . . . .
. . . . . . Hanc assisiam ego G. dux Britanniæ et Constancia uxor mea et omnes barones Britanniæ terræ tenere juravimus. Decernimus etiam necessarium ut et majores natu et juniores eam jurarent tenendam et, si juniores jurare noluissent, amplius nec in terris nec in denariis partem essent habituri. Hanc assisiam sive institutionem nominatim Alano de Rohan et ejus heredibus per totam terram suam concessimus permansuram.[1] »

Non modo postulantibus episcopis baronibusque lex ista constituta est, sed etiam illorum assensu confirmata. Omnes, in quos posterius recident quæ ex ea consecutura sunt, huic obsequium se præstituros jurare debent; si quidem jurare noluerint, nihilominus paternarum opum, secundum rationem ex ipsa lege constitutam, partem sunt habituri. Præsertim est animadvertendum hanc institutionem, qua militarium feudorum successio regitur, non a militibus ipsis, sed a baronibus tantummodo acceptam fuisse. Qua enim de re episcopi barones-

1. Teulet, *Layettes du Trésor des chartes*, Paris, Plon, in-4°, I, p. 144.

que cum duce consensissent, huic minores vassali accedere debebant. Neque enim in ducis curia, utpote quæ ipso præsidente ex iis qui edixerant consultum constaret, hanc institutionem arguere milites poterant. Infirmiores erant quam ut, quominus lex edita a duce insignioribusque vassalis valeret, armis repugnarent.

Potentes tamen illi Campaniæ comites, quum de prope similibus stabilimentis ageretur, ab omnibus vassalis assensum petebant neque potentiorum baronum suffragia satis esse ducebant.

Anno MCCXII Blancha comitissa, baronum vavassorumque assensu, hanc ordinationem qua, masculis heredibus absentibus, filiarum jus in feudorum successione determinaretur, constituit :

« Ego Blancha, comitissa Trecensium, palatina, notum facio universis, tam præsentibus quam futuris, me, de communi consilio et assensu baronum meorum et vavassorum, statuisse, quod, si aliquis baronum vel vavassorum Campaniæ vel Briæ sine herede decesserit et plures habuerit filias[1]. . . »

Matris quidem exemplum sequebatur nobilissimus ille comes Theobaldus, quamvis potentiorum, qui ea ætate exstiterunt, principum numero adnumerandus sit. Anno MCCXXIV quomodo inter liberos masculos castellaniarum baronniarumque partitio fieri deberet, magni momenti legem nobis servatam

1. *Ibidem*, I, p. 385.

tulit, qua fit manifestum quinam isti concesserint.

« Ego Theobaldus, Campaniæ et Briæ comes palatinus, notum facio universis præsentes litteras inspecturis quod, cum esset contentio de faciendo judicium qualiter liberi masculi castellanorum et baronum meorum deberent partiri inter se, videlicet, quantum primogenitus debeat capere contra postgenitum, ego, de assensu et consilio baronum et castellanorum meorum, scilicet reverendi patris M., episcopi Belvacensis, et carissimi consanguinei mei et fidelis Henrici, comitis Barriducis, et dilectorum et fidelium meorum G. comitis sancti Pauli, Johannis, comitis Carnotensis, comitis Rociaci. . . . . Erardi de Alneto, vice-domini Cathalaunensis, et aliorum baronum meorum, quorum sigilla sunt apposita præsenti cartæ, stabilivi.

. . . .

« Si quidem sciendum est quod stabilimentum istud, quod factum est, in antea firmiter permanebit ab hac die qua factum est de omnibus castellis quæ movent de me, et partitiones, quæ factæ fuerint usque ad diem qua præsentes confectæ fuerunt litteræ, stabiles erunt et durabunt. Quod ut ratum permaneat et firmiter teneatur, ego et barones præsentes litteras sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari[1]. »

1. Brussel, *Usage des fiefs*, Paris, 1750, in-4° t. II, p. 878.

Eo tempore, fere semper quænam esset consuetudo inquiri tantum solebat et in illa pauca mutabantur. At etiam ut diceretur quæ in regione consuetudo vigeret dominus capitalis vassalorum consilium assensumque rogare debebat. Cujus rei insigne exemplum nobis offert ab Hanagavensi comite anno MCC edita ordinatio quædam, cujus hæc sunt initium finisque :

« Hæc est declaratio legum in curia et comitatu Hainoensi, communi consensu et consilio ac deliberatione sanaque recordatione virorum nobilium et ministerialium ad comitatum Hainoensem pertinentium, discretius conscriptarum, sigillisque et juramentis domini Balduini, comitis Flandriæ et Hainoensis, et fidelium hominum suorum, ad comitatum et dominationem Hainoensem pertinentium, ad perpetuam observationem confirmatarum.

. . . .

« Dominus vero comes Balduinus Flandrensis et Hainoensis et fideles homines sui, Philippus scilicet, marchio Namurcensis, ipsius comitis germanus, Henricus etiam ejusdem comitis germanus, (sequuntur circiter quinquaginta nomina) et quamplures alii, hæc omnia, tactis sacrosanctis, se observaturos juraverunt, suo addentes juramento, quod, si quis hominum has leges conscriptas in aliqua parte infringere præsumpserit, omnes alii contra

illum erunt ad plenam omnium prædictorum observantiam[1]. »

Ita dominus debebat capere consilium a vassalis qui rursus curiæ officio obstricti sententiam dare, imo etiam ad legem quam concessissent observandam domino auxilium atque opem ferre cogebantur. Stricto jure, vassalo, qui ordinationem a domino sibi propositam accipere noluerat, licebat illam non exsequi; quod autem revera in irritum cadebat. Dominus enim et vassali, qui legem laudaverant, cogebant vel armis omnes alios terræ vassalos ut nolentes volentesve eam subirent. Fortissimi cujusque jus præcipua lex adhuc erat. Vassalus enim, ut a paribus suis reposceret justitiam, domini curiam adire non poterat, quod ab eis ipsis ex quibus constabat domini capitalis curia opprimeretur.

Majores quidem domini, comites atque duces, quibus magnæ possessiones erant, in terra sua graviores etiam quam quæ supradictæ sunt ordinationes, quæ magis peculiariter ad feudorum possessores pertinent, constituebant. Statuta enim communia, quibus parere deberent omnes subditi, condebant. Anno MCCXXXIII Raimundus, Tholosæ comes, in hæreticos et omnes homines, cujuscumque status seu conditionis essent, qui constitutum ordinem turbare possent, hoc generale stabilimentum edidit.

1. Brussel, *Usage des fiefs*, t. II, p. 883.

« Ad exaltationem fidei christianæ et ad extirpandam hæreticam pravitatem et ad conservationem pacis et ad bonum statum terræ totius conservandum et in melius reformandum, nos Raimundus, Dei gratia comes Tholosæ, de consilio et assensu episcoporum et aliorum prælatorum, comitum et baronum, militum et plurium aliorum virorum prudentium terræ nostræ, matura deliberatione habita et diligenti studio præcedente, hæc statuta salubria in terra nostra et nostrorum duximus ordinanda[1]. »

Non solum in duces, comites majoresque barones idem imperium rex exercebat quod in vassalos hi omnes, dominantium jure; huic ipsa regia potestas accedebat, cujus natura non satis definita inveniebatur, quippequæ dimidia sacerdotis, dimidia imperatoris esset. Magis autem atque magis observabatur et per operam hominum illorum, jure romano innutritorum, quos in consilium reges vocabant vel in provincias ut ballivos mittebant, in dies crescebat.

Attamen, quamvis a tertii decimi sæculi initio Francorum reges potestatem atque fines suos adauxissent multoque suis vassalis potentiores evasissent, nihilominus etiam tum, ut in terra eorum ordinationi cuidam imperium assererent, a vassalis assensum petebant. Philippus Augustus, quum re-

1. Teulet, *Layettes du Trésor des chartes*, II, 248.

rum summam teneret, anno scilicet MCCIX, una cum majoribus suis vassalis hoc præclarum de feudis stabilimentum edidit :

« Philippus, Dei gratia Francorum rex, Odo, dux Burgundiæ, Herveus, comes Nivernensis, R. comes Boloniæ, G. comes sancti Pauli, G. de Domna Petra et plures alii magnates de regno Franciæ unanimiter convenerunt et assensu publico firmaverunt ut a prima die maï in posterum ita sit de feodalibus tenementis..... Quod ne possit oblivione deleri et in posterum irritari, præsens scriptum sigillorum nostrorum munimine roborari fecimus[1]. »

Non solum ab optimatibus regni assensum rogabat Philippus, sed etiam lex in eorum ut in suo ipsius nomine edebatur auctoritasque stabilimenti eo confirmabatur quod rex dominique, in titulo cum eo nominati, sigillis suis hanc cartam obsignaverant. Hoc autem maxime animadvertendum est hanc ordinationem, qua multorum militum, qui plusve minusve poterant, conditio mutabatur, ab illis non acceptam fuisse; tantum vero potentiores vassalos quosdam rex ad consilium adhibuerat : quod quidem satis erat ut in sua ipsius atque in illorum terra lex valeret.

Philippus Augustus majorum vassalorum jura eatenus observabat qua iisdem firmitatem atque

1. *Ibidem*, I, 330.

robur ipsi comparare poterant. Anno MCCXV Campaniæ comitissæ, quæ, ut comitatum filio suo servaret, ipsius egebat auxilio, ordinationem de campionibus factam, quamvis ei non dedisset assensum, observandam imposuit.

« Philippus, Dei gratia Francorum rex, dilectæ et fideli suæ Blanchæ, comitissæ Trecensi, salutem et dilectionem. Noveritis quod nos consilio baronum nostrorum et pro communi omnium utilitate statuimus, quod campiones non pugnent de cetero cum baculis, qui excedant longitudinem trium pedum. Proinde vobis mandamus et per fidem quam nobis debetis vos requirimus quatinus per totam terram vestram id publice clamari faciatis et firmiter observari[1]. »

Hoc est *pro communi omnium utilitate* generale stabilimentum. Præteritis quinquaginta annis, jurisconsulti profitebuntur regibus, quamvis vassalorum assensum non rogaverint, hujusmodi ordinationes, quæ omnibus observandæ sint, edendi facultatem esse. Eo autem tempore hoc præceptum nondum vigebat atque verisimile est Philippum Augustum, nisi Campaniæ comitatus in manu mulieris cujus jura in dubium ducebantur fuisset, illo modo sese gerere non ausurum fuisse. Ceterum postquam illa comitissa litem obtinuit, Philippus rex ejus jura observavit. Anno MCCXVIII de judæis potestatis suæ

1. *Recueil des Ordonnances du Louvre*, I, 35.

constitutionem quamdam fecit, quam aliquot post annos Campaniæ comitissa et Guido de Domna Petra in suis terris exsequendam concesserunt.

« Hoc est stabilimentum quod rex facit de judæis per assensum comitissæ Trecensis et Guidonis de Domna Petra prima die septembris, videlicet in festo sancti Ægidii..... Hoc autem stabilimentum durabit, quo usque nos et comitissa Trecensis et Guido de Domna Petra, qui hoc facimus, per nos et illos ex baronibus nostris, quos ad hoc vocare volumus, illud diffaciamus[1]. »

Ordinationes de judæis, a Francorum regibus tertio decimo sæculo editæ, nobis manifestum facient quali modo, quæ ad leges constituendas attinet, regia potestas per hæc tempora creverit. Anno MCCXXIII, Ludovicus octavus de judæis illud stabilimentum toto regno observandum fecit :

« Noveritis quod per voluntatem et assensum archiepiscoporum, episcoporum, comitum, baronum et militum regni Franciæ, qui judæos habent et qui judæos non habent, fecimus stabilimentum super judæos, quod juraverunt tenendum illi, quorum nomina subscribuntur, Guillelmus, episcopus Cathalaunensis; comes Pertici; comes Philippus Boloniæ; ducissa Burgundiæ; comitissa Nivernensis; comes Galterius Blesensis; comes Johannes Carnotensis; comes Robertus Drocarum pro se

1. *Recueil des Ordonnances*, I, p. 44.

et pro comite Britanniæ, fratre suo; comes Namurcii; comes Grandis Prati; comes Vindocinensis; Robertus de Cortenaio, Franciæ buticularius; Matthæus de Montemorenciaco, Franciæ constabularius; Archembaldus de Borbonio; Guillelmus de Dampetra; Ingerrannus de Cociaco; senescallus Amauricus Andegavensis; Droco de Melloto; vice-comes Bellimontis; Henricus de Soliaco; Guillelmus de Calviniaco; Galcherus de Jovigniaco; Johannes de Vierzi et Guillelmus de Sulliaco.....

. . . .

Et sciendum quod nos et barones nostri statuimus et ordinavimus de statu judæorum quod nullus nostrum alterius judæos recipere potest vel retinere; et hoc intelligendum est tam de hiis qui stabilimentum juraverunt quam de illis qui non juraverunt...... In cujus rei testimonium et confirmationem præsentibus litteris sigillum nostrum fecimus apponi et comites, barones et alii prænominati sigilla sua duxerunt apponenda [1]. »

Ludovicus octavus hujus stabilimenti exemplar præcipuorum vassalorum cuique misisse videtur eosque rogasse ut id sese observaturos pollicerentur : quod quidem ex Nivernensis comitissæ litteris quibusdam credi potest :

« Excellentissimo domino suo Ludovico, Dei gratia Francorum regi, Mathildis comitissa Niver-

1. *Ordonnances*, I, 47.

nensis salutem et cum sincera dilectione se totam. Excellentiæ vestræ notum facimus quod nos stabilimentum quod factum est de judæis juravimus, *sicut alii barones*, bona fide observandum, prout nobis per vestras litteras mandavistis; et super hoc litteras nostras patentes per clericum vestrum vobis transmittimus[1]. »

Ex tanta cautione adhibita facile animadverti potest, qui timor ut hæc lex observaretur regem tenuerit. Etenim licet minores domini ad id cogi possent, ut ordinationem quamvis ei assensum non dedissent exsequerentur, difficilius erat majores barones coerceri; itaque cum illis agendum erat neque interdum ab iis tota lex accipiebatur. Campaniæ comes ex toto edicto præscriptionem tantummodo unam accepisse videtur; quod quidem ex his brevibus litteris suspicari possumus.

« Ego Theobaldus, comes Campaniæ et Briæ, palatinus, notum facio universis me creantasse karissimo domino meo Ludovico regi Franciæ illustri quod non retinebo aliquem de judæis suis, nec baronum nec hominum suorum qui stabilimentum de judæis a domino rege factum juraverunt tenendum. Nec dominus rex, nec barones, nec homines sui qui dictum juraverunt stabilimentum possunt retinere judæos[1] meos nec aliquem de judæis meis[2]. »

1. Teulet, *Layettes du Trésor des chartes*, I, 16.
2. *Ibidem* 18.

Credendum est hoc stabilimentum parum observatum fuisse ; fere enim statim ut Ludovicus nonus per se regnare cœpit, aliud statutum fecit, cui ut firmitas assereretur, intenta cura cavit.

« Ludovicus, Dei gratia Franciæ rex, noverint universi, præsentes pariter et futuri, quod nos pro salute animæ nostræ et inclitæ recordationis regis Ludovici, genitoris nostri, et antecessorum nostrorum, pensata etiam ad hoc utilitate totius regni nostri, de sincera voluntate nostra et de communi consilio baronum nostrorum statuimus quod nos et barones nostri judæis nulla debita de cetero contrahenda faciemus haberi, nec aliquis in toto regno nostro poterit retinere judæum alterius domini ; . . . .

. . . .

Hæc vero statuta servabimus et faciemus servari in terra nostra et barones nostri in terris suis ; et si aliqui barones noluerint hæc servare ipsos ad hoc compellemus ; ad quod alii barones cum posse suo bona fide nos juvare tenebuntur. Et si aliqui in terris baronum invenirentur rebelles, nos et alii barones nostri juvabimus ad compellendum rebelles prædicta statuta servare. Hæc autem in perpetuum volumus illibata servari a nobis et baronibus nostris et barones nostri similiter concesserunt se et hæredes suos hæc perpetuo servaturos. Ego Philippus, comes Boloniæ, ea quæ premissa sunt volui, concessi et juravi. Ego Theobaldus,

comes Campaniæ, eadem volui, consului et juravi. Ego Hugo, comes Marchiæ,..... Ego Hugo, dux Burgundiæ..... Ego Amauricus, comes Montisfortis, Franciæ constabularius..... Ego Robertus de Curtiniaco, Franciæ buticularius..... Ego Henricus, comes Barri..... Ego Hugo, comes sancti Pauli..... Ego Radulfus, comes Augi..... Ego Johannes, comes Cabilonis..... Ego Guillelmus, vicecomes Lemovicensis..... Ego Ingerrannus de Cociaco..... Ego Archambaldus de Borbonio..... Ego Guillelmus de Domno Petro..... Ego Guido de Domno Petro..... Ego Joannes de Nigella..... Ego Guillelmus de Vergiaco..... Hæc autem voluimus, consuluimus et juravimus pro salute animarum nostrarum et antecessorum nostrorum..... Nos autem ut prædicta omnia rata in perpetuum permaneant et inconcussa, in eorum memoriam et testimonium sigilla nostra præsentibus fecimus apponi. Actum apud Meledunum anno Domini m° cc° tricesimo, mense decembri[1]. »

Rex ergo curat ut edictum sacramento confirment viginti e potentissimis regni sui dominis, hique singuli profitentur se hoc assensu suo fideque obstricta sanxisse. Imo spondent se regi adfuturos esse viribus omnibus ut per vim exsequi cogantur barones qui recusabunt obsequium. Quinque et viginti annis post rex potentior

1. Teulet, *Layettes du Trésor des chartes*, II, 192.

factus est ejusque senescalli huic ordination quamvis e dominis qui juraverunt nullum auxilium quæsiverint imperium asserere possunt. Magnum anno MCCLIV edictum stabilimentum pro senescalliis Bellicadri et Carcassonæ hanc clausulam continet :

« Istud autem statutum [olim a nobis de consilio baronum nostrorum apud Meledunum editum] volumus quod senescalli nostri observent et faciant observari tam in terra nostra quam in terra baronum et aliorum, si defecerint, postquam sufficienter fuerint requisiti[1]. »

Postremo Philippus IV, anno MCCXCIX, hoc stabilimentum confirmat regiaque potestate sola nititur :

« Statutum seu ordinationem quam beatus Ludovicus ad reprimendam usurarum voraginem de prælatorum ac baronum suorum consilio dudum fecit. . . . .
volumus, statuimus et præcipimus inviolabiliter observari . . . .
Et ne hujusmodi ordinatio de cetero a quocumque valeat irritari, omnibus officialibus ac subditis nostris, cujuscumque status seu conditionis existant, *auctoritate regia* prohibemus ne de cetero tales litteras obligatorias judæis aut notoriis usurariis faciant aut sigillent et quæ contra prohibitionem

1. Vaissette, *Histoire du Languedoc*, édition Molinier, t. VIII. col. 1351.

facta fuerunt nullius roboris habeant firmitatem[1]. »

Ludovicus Sanctus eo modo non loquebatur; ei non majorem potestatem quam majoribus vassalis, qui, ut consuetudinem flecterent, a baronibus militibusque suis assensum efflagitare cogebantur, fuisse, ex his documentis anno MCCXXXV et MCCXLVI datis, satis constat.

« Nos, Guido de Rupe, Ansellus de Insula, Matheus de Tria, Johannes de Calvomonte, Gilo de Montchevrel et Johannes de Barris, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis quod nos et alii milites Vulcassini Gallici, die mercurii proxima post nativitatem domini proximo præteritam, coram Radulpho, tunc temporis ballivo Vulcassini, convenimus et tractavimus de releveiis feodorum et consideravimus aliquas malas consuetudines quæ erant in releveiis feodorum. Tamdem omnes milites Vulcassini promiserunt fide præstita corporali quod quidquid ordinaremus super dictis releveiis firmiter observarent. Et Matheus de Calvomonte creantavit coram domino rege quod ordinationem nostram super hoc firmiter observaret. Nos igitur de consilio curiæ domini regis super dictis releveiis Vulcassini Gallici ordinandum ducimus in hunc modum, videlicet[2]: »

« Universis præsentes litteras inspecturis, P, comes Vindocinensis, G, vicecomes Castriduni,

1. *Ordonnances*, I, p. 333.
2. Teulet, *Layettes du Trésor des chartes*, II, 291.

Hugo de Bauceio, (circiter quindecim nomina sequuntur) notum facimus quod cum dubitaretur ab aliquibus de consuetudine ballorum et rachatorum Andegaviæ et Cenomanniæ, excellentissimus et carissimus dominus noster, Ludovicus, Dei gratia Franciæ rex illustris, volens cognoscere super hoc veritatem et quod erat dubium declarare, nobis apud Aurelianum coram ipso vocatis, habito nobiscum tractatu et consilio diligenti, communi assertione nostra didicit de consuetudine terrarum illarum quod talis est :

. . . .

« Quia vero super ætate feminarum certa consuetudo non inveniebatur, idem dominus rex *de assensu nostro* statuit et ordinavit quod femina non maritata, postquam quintum decimum annum compleverit, habeatur legitimæ ætatis ad faciendum homagium domino et ad habendam terram suam. Hæc autem omnia supradicta prout superius continetur de communi consilio et assensu nostro idem dominus rex voluit et præcepit de cætero in perpetuum observari. Ut autem hæc statuta firma et inconcussa in futurum permaneant ea sigilli nostri munimine fecimus communiri[1]. »

Rex tantum interveniebat ut quæ regionis majores domini decreverant rata haberet. Animadvertendum vero est non ab omnibus dominis feodum

1 Teulet, *Layettes du Trésor des chartes*, II, 617.

quoddam tenentibus consilium peti. In Vulcassino fertur omnes milites assensum dedisse; parvi vero æstimabantur pauperiores domini et scutiferi, quibus modo parvum erat feudum neque satis ampla res ut milites fierent. Imo etiam quod ordinatum fuit pro Andegavia et Cenomannia barones soli concesserunt, militibus non consultis.

Anno MCCLX Ludovicus sanctus de duellis insigne stabilimentum edidit; quum autem a baronibus non concessum fuisset, sola in terra regis valuit moxque obsolevit. Anno autem MCCCIV Philippus IV, auctoritate regia, per totum regnum duella prohibuit.

« Ad statum prosperum regni nostri, sicut regiæ dignitatis decet officium, totis studiis totisque conatibus intendentes, ac cupientes gravibus obviare periculis commissarum a Deo nobis personarum et rerum scandalis, expendiis variis quæ ex guerrarum et bellorum criminosis eventibus sequi possent, ac proinde attendentes quod ad hoc sunt jura in medio constituta et ad eorum defensionem et executionem justitiæ reges et principes orbis terræ divinitus deputati, ut nemo sibi jus dicere aut vindictam assumere audeat sed unicuique sufficiat vigor justitiæ, quam regimus, nostris temporibus expeditam singulis volumus ministrari.

« Ad instar sancti Ludovici, eximii confessoris, quondam regis Francorum, *cum nonnullis prælatis et baronibus nostris, pleniori habita deliberatione*

consilii, hoc generali statuto, expresse intendimus et districtius inhibemus guerras, bella, homicidia.

. . . .

« Statuta vero et inhibitiones hujusmodi, quo ad guerras prædictas, temerarios transgressores, tanquam turbatores pacis decernimus puniendos, non obstante contraria consuetudine, quin potius corruptela, quæ haberi dicitur in aliquibus partibus dicti regni, quam. . . . . *de prælatorum et baronum consilio et certa scientia et auctoritate et de plenitudine regiæ potestatis omnino tollimus*[1]. . . . .

Videmus igitur Philippum IV in consilio utriusque juris peritos homines habere; prælatorum quidem nonnullorum baronumque consilium atque assensum commemorat, sed eorum nomina neque profert, neque eos in terra quemque sua ordinationi firmitatem præstituros esse auxiliumque ut repugnantes opprimantur præbituros jurare jubet; et enim sese posse ut omnibus sibi vel mediate vel immediate subditis leges quas edicit observandas imponat sibi conscius est, tantumque officiariis suis præcipit ut huic ordinationi inviolabile imperium asserant. Postquam autem bello finis impositus fuit, de ea re novam maximi momenti legem edidit, qua interdum duellum permittebatur. Ballivi autem non facere poterant ut hæc præcepta

1. *Ordonnances*, I, 390.

a baronibus ad verbum observarentur; itaque Philippus hæc ut firmitatem haberent paulo post parlamentum curare jussit.

Sanctus Ludovicus, eorum regum qui antea fuerant majorumque baronum instar, præcipuis anni feriis in curiam vocabat insignes vassalos qui de regni negotiis et inter alia de ordinationibus consilium atque assensum darent. Hi conventus « *curia* vel » « *parlamentum* » vocabantur, multæque ordinationes in parlamento factæ reperiuntur. Quo quidem non significatur has ordinationes ab omnibus regni vassalis, ducibus, comitibus baronibusque acceptas fuisse sed ab illis tantum qui in curia regis una cum majoribus officiariis clericisque illo tempore versabantur. Pleræque ordinationes, quæ de consilio et assensu prælatorum nonnullorum baronumque regni editæ dicuntur, in constitutis eodem modo conventibus deliberatæ sunt. Quo fiebat ut rex antiquam qua, cogebatur a baronibus assensum, ut in eorum terra lex observari posset, efflagitare, regulam sequi videretur. Revera autem cum majoribus suis ipsius officiariis, ballivis atque clericis, qui in curia numero majores quam barones magnique vassali semper erant, rex ordinationes moliebatur. Stabilimenta eo modo facta nihilominus per totum regnum, exceptis maximis feodis, Flandria scilicet, Burgundiave aut Britannia, valebant. Illarum enim provinciarum domini legem a rege factam in terra ipsorum sua tan-

tum ad voluntatem suam observandam censebant. Nusquam autem alibi *in curia vel in parlamento vel de assensu baronum ac prælatorum* editis ordinationibus repugnabatur; reges enim satis poterant neque jam vassalorum auxilio egebant ut leges illis qui eas non concesserant exsequendas imponerent.

Anno MCCLVIII sanctus Ludovicus de amovendis blasphemiis in parlamento fecit ordinationem quam ad ballivos una cum sequenti mandato misit :

« Cum nos in hoc parlamento assumptionis beatæ Mariæ, Parisius, de assensu baronum nostrorum, quamdam ordinationem fecerimus de amovendis blasphemiis et enormibus juramentis ac etiam puniendis; quam quidem ordinationem vobis mittimus per latorem præsentium, sub contrasigillo nostro inclusam, mandamus vobis quatenus ordinationem istam per villas, nundinas et mercata præconisari et in vestris assisiis publicari faciatis eamque in vestra baillivia quamdiu nobis placuerit teneri firmiter et servari[1]. »

Anno MCCXCIII Philippus IV hanc ordinationem confirmavit. Baronum autem assensus mentionem non fecit; sola potestate regia nitebatur atque in præloquendo curavit ut manifestum plane fieret hoc præceptum pro communi regni utilitate factum esse :

« Philippus, Dei gratia Francorum rex, omnibus

1. *Ordonnances*, I, 100, en note.

senescallis, ballivis, præpositis et aliis justiciariis suis quibuscumque ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem. Cum publicæ utilitatis intersit ne crimina remaneant impunita..... Nos igitur qui omnipotentis Dei miseratione regiæ dignitatis suscepimus gubernacula, nolentes illius, qui probra nostra delevit, dissimulare opprobria, quin potius vestigia sanctæ memoriæ prædecessorum nostrorum zelum divinæ legis habentium insequi cupientes, vobis omnibus et singulis sub juramento quo estis nostræ fidelitati astricti præcipimus, quatinus omnes quoscumque de cetero inveneritis jurantes de Deo..... secundum statutum sanctæ recordationis Ludovici regis avi nostri, acriter puniatis[1]. »

Quibus in actis rex non jam de alia re quam de officiis quæ ipsi ut regi incumbunt loquitur, atque per totum ipsius regnum quæ tam enixe damnat reprimendi sibi jus esse persuasum habere videtur. Hujus modi tamen præcepta sunt rarissima. Plerumque Philippus IV de suis ordinationibus illos qui tunc in curia erant consulebat; quos etiam interdum ordinationes, quæ legum locum obtinerent, instituere jubebat. Præclara illa de burgesiis ordinatio a curia regis, illo ipso jubente, in parlamento ad anni MCCLXXXVII Pentecostem edita fuit. Apparet etiam regem hunc modum exoptasse ne hæc ordinatio severius observaretur; ob hanc cau-

1. *Ordonnances*, t. XII, p. 329.

sam eam a parlamento condi illum voluisse neque ei actorum regiorum speciem imposuisse. Quod quidem ostendit hæc e cartarum thesauro nota : « Verum cum pro modo placuisset domino regi quod aliquibus de causis hujusmodi ordinatio de burgesiis in villis sitis in marchiis, sive in finibus regni sui a parte imperii Alemanni, minime servaretur[1]. » Aliquot autem post annos rex a sententia discessit atque hanc ordinationem per totum regnum esse servandam esse jussit. « Demum dominus rex anno domini MCCXCIII circa ascensionem domini, apud Pontisaram, cum majori et saniori parte sui consilii, voluit et præcepit quod dicta ordinatio de burgesiis per totum regnum suum, tam in finibus quam alibi, generaliter observaretur[2]. » Desiderantur hujus confirmationis acta neque scire possumus quid hæc verba *major et sanior pars consilii* revera significent ; sed probabile est per hæc parlamentum vel regis curiam indicari. Duo post annos hæc ordinatio in parlamento, præsente Burgundiæ duce, renovata fuit. « Anno nonagesimo quinto, præsentibus duce Burgundiæ, comite sancti Pauli, constabulario, episcopis Tornacensi et Dolensi, recitata fuit prædicta ordinatio et approbata in parlamento omnium sanctorum, præsente toto parlamento[3]. »

1. *Ordonnances*, I, 316, en note.
2. *Ibidem*.
3. *Ibidem*.

Anno MCCLXXXVII parlamentum ordinationem edidit quæ altorum justitiariorum summo juri maximum inferebat detrimentum; quippe quæ liberam judicum electionem illis adimeret. Ea tamen valuit, quamvis in hoc consilio non plures quam duo aut tres prælatos tresque aut quatuor barones fuisse cum regiis officiariis, omnes plane cognitum haberent.

« Ordinatum fuit per consilium domini regis, quod duces, comites, barones, archiepiscopi et episcopi, abbates, capitula, collegia, milites, et generaliter omnes in regno Franciæ temporalem jurisdictionem habentes, àd exercendam dictam temporalem juridictionem ballivum, præpositum et servientes laïcos et nullatenus instituant ut si ibi delinquant superiores sui possint animadvertere in eosdem..... Hæc ordinatio registrata est inter judicia, consilia et arresta expedita in parlamento omnium sanctorum anno domini MCCLXXXVII[1]. »

Omnium supradictorum summa hæc est : ad finem vergente tertio decimo sæculo Franciæ reges non jam existimant sese ipsorum majores vassalos efflagitare debere ut ordinationibus dent assensum eisque ut firmitas adjiciatur curaturos sese polliceantur. Regia potestate nituntur, atque, ut dicebat jurisconsultus quidam, super ceteros regni in universum custodes atque domini jure existunt. Pro

1. *Ordonnances*, I, 316.

communi utilitate quæ ipsis placent stabilimenta condere possunt eaque observentur necesse est. Etiam nunc autem hæc stabilimenta *de assensu prælatorum et baronum, cum majori et saniori parte consilii in curia vel in parlamento facta* fuisse profitentur; quæ tantum vanæ formulæ sunt, quibus appositis regem antiquos usus secutum esse credatur. Prælatos baronesque, quos suis ipsius consiliis favere scit consulit, atque illi fere omnes, ex quibus constat parlamentum aut curia, addictissimi sunt. Philippus doctrinam utriusque juris, quo innutriti erant jurisconsulti qui eum circumstabant, ad rem traducere potuit. Quod Philippus de Bellomanerio paulo ante scribebat consuetudo factum est : « Quum rex ad suam ipsius terram privatim spectans stabilimentum quoddam edit, barones in ipsorum terra antiquos usus sequi perseverare possunt; quum autem stabilimentum est commune, per totum regnum observandum est et talia stabilimenta prudentissimo consilio pro communi utilitate facta esse nemo est qui nescire possit[1]. »

1. « Mais quant li Rois fet aucun establissement especialment en son demainne, si baron ne lessent pas por ce à uzer en lor teres selonc les anciennes coustumes. Mais quant li establissemens est généraux, il doit corre par tout le roiaume. Et noz devons savoir que tel establissement sunt fet par très grant conseil et por le commun pourfit. » Beaumanoir, II, p. 255.

CAPUT II

Etsi, vergente in finem tertio decimo sæculo, Franciæ reges id erant assecuti ut extra proprium dominium et per totum regnum stabilimenta sua valerent, non ideo sine optimatum et baronum assensu eorumdem in terris vectigalia auctoritate regia percipere jam poterant.

Jure quidem tenebatur vassalus adjuvare dominum suum et in proprio dominio regibus licebat hujuscemodi auxilium sibi vindicare a feudorum possessoribus immediate sibi subditis; id tamen non poterant petere a dominis, qui sub ditione baronum et optimatum regni erant, his non annuentibus.

Quo tempore primum vigebat feodalitas, pecunia collata, dominis auxilium dare feudatarios minime oportuit, sed illis tantum adesse et virilem operam præstare. Quem morem usque ad provectam ætatem prævaluisse testantur acta quibus vassali dominis suis fidem spondebant et eorum homines se fore pollicebantur.

Nobiles laici, qui feoda possidebant, sacramento erga dominum obstricti jurabant ei se auxilio fore

contra omnes homines qui possunt vivere et mori. Cæterum nusquam definiuntur officia quæ vassalus domino rependere debet et rarissime occurrunt hommagia istius ad instar explicita :

« Omnibus præsentes litteras inspecturis Aymericus, vicecomes Thoarcii, salutem. Noveritis quod ego domino meo Ludovico, regi Francorum illustri, feci hommagium ligium, contra omnes homines qui possunt vivere et mori, de domaniis et feodis et teneuris, quæ ad præsens teneo in comitatu Pictaviæ, tenendis ab ipso domino rege et hæredibus suis ad usus et consuetudines Pictaviæ et ad servicia quæ feoda debent et sicut feoda asportant et de domaniis et feodis et teneuris, quæ ad presens teneo in comitatu Andegavensi, tenendis ab ipso domino rege et hæredibus suis ad usus et consuetudines Andegaviæ. . . . Actum Parisiis, anno domini, Mº ccº vicesimo quinto, mense Julio[1]. »

Vassali, regi non proxima ditione subditi vel sub alius domini cujusvis imperio jam collocati, non poterant fidem suam tam arcta ratione obstringere, ideo quod domini prioris jura integra servari oportebat.

« Excellentissimo domino suo Ludovico, Dei gratia illustrissimo regi Franciæ, et universis præsentes litteras inspecturis P. de Malamorte, salutem

1. Teulet, *Layettes du Trésor des chartes*, II, 57.

et debitum famulatum. Noveritis universi quod nos fecimus et juravimus fidelitatem Ludovico, Dei gratia regi Franciæ illustri, matri suæ, fratribus suis et eorum heredibus, salvo jure domini episcopi Lemovicensis et aliorum dominorum nostrorum et nostro, eisdem contra omnes homines in perpetuum et inviolabiliter observandam. Et nos tenemur, in virtute præstiti juramenti, ipsum dominum regem, fratres suos, matrem suam et suos et eorum heredes, de castris, villis, fortericiis nostris, pro posse nostro, contra omnes homines qui possunt vivere seu mori fideliter adjuvare. . . Datum in crastino annunciationis dominicæ, anno domini, M° CC° XXIX° mense martio[1]. »

Prælatis, abbatibus, capitulis conventibusque concessum erat feoda possidere quorum causa, principio quidem, dominis suis eadem officia quæ laici ejusdem generis feoda sortiti præstare debebant. Mox autem clerici conati sunt obsequii militaris onus omnino vel partim abjicere. Sed prælati et ecclesiastici feudatarii sacramento quodam erga dominum suum fidem obstringere debebant, quod hommagii non absimile fuit.

« Mauritius, Dei gratia Cenomannensis episcopus, universis præsentes litteras inspecturis, salutem. Noverit universitas vestra quod nos karissimo domino nostro, Ludovico, Dei gratia Francorum

1. Teulet, *Layettes du Trésor des chartes*, II, 655.

regi, fecimus sacramentum fidelitatis, sicut alii episcopi regni Franciæ ipsi faciunt ; et ipse recognovit nobis quod non tenemur ire in exercitum vel equitatum ejus in propria persona nostra, vel mittere aliquem sumptibus nostris, neque occasione istius sacramenti fidelitatis nullum onus novum aut gravamen imponetur nobis aut ecclesiæ nostræ, sed nos et ecclesia nostra manebimus in illis libertatibus quas habuimus tempore felicis memoriæ Philippi, quondam regis Franciæ, patris sui, et regum Angliæ Henrici et Richardi. Item recognovit nobis quod quando electus Cenomannensis erit confirmatus a metropolitano vel ab eo qui potestatem habebit confirmandi, ipse reddet ei regalia sua per nuncios deferentes litteras patentes de confirmatione ejus. Ipse tamen electus tenebitur bona fide adire dominum regem, si fuerit in regno, infra quadraginta dies post susceptionem regalium et eidem sacramentum fidelitatis præstare. Et si infra quadraginta dies ad dominum regem, sicut dictum est, non venerit, dominus rex poterit saisire regalia sua et ea tamdiu tenere quousque domino regi fidelitatem suam fecerit. Et sciendum quod si comitatus Cenomannensis separetur a regno non teneremur facere comiti Cenomanniæ hujusmodi sacramentum. Actum anno gratiæ M° CC° vicesimo tertio, mense novembri[1]. »

1. Teulet, *Layettes du Trésor des chartes*, II, 16.

Præter feoda quæ vel laïci nobiles vel ecclesiæ tenebant, tertio decimo sæculo quædam dominationes existebant ejus generis, quod proprium earum esset, urbes scilicet et burgi quibus pactum erat ut *communiæ* fierent. Dominorum instar opulento quodam feodo potitorum, communiæ judicium exercebant, proprio sigillo utebantur, arcam communem possidebant, multa vectigalia percipiebant atque ex suis burgensibus tallias colligebant. Imo militiam habebant cui præerant urbani magistratus et cum dominis vicinis bella gerebant; denique regi aut baroni, cui sacramentum dixerant, militarem operam præstare jubebantur.

Sic anno MCCIV, mense maio, communia Petragolensis regi Philippo Augusto in hunc modum sacramento se addixit :

« Excellentissimo domino suo Philippo, Dei gratia Franciæ regi, tota communitas villæ de Petragolis salutem et omnimodam fidelitatem. Notum facimus universis præsentibus et futuris quod nos tenemur domino nostro Philippo, illustri regi Franciæ, et heredibus suis in perpetuum facere fidelitatem contra omnes homines et feminas qui possunt vivere et mori ; et tenemur ei et heredibus suis tradere totam villam de Petragolis integre ad magnam vim et parvam, quotiescumque dominus rex noster Philippus et heredes sui inde nos requisierint[1]. »

1. Teulet, *Layettes du Trésor des chartes*, I, 249.

Quod sacramenti genus minime distat ab iis quæ præstabant nobili loco orti vassali, spondere soliti domino suo castella ad magnam et ad parvam vim se esse tradituros.

Anno MCCXXVIII mense octobri, numero plures communiæ suam fidem obligaverunt regi his sacramentis quorum duo simillima fere exempla subscribimus.

« Excellentissimo domino suo Ludovico, Dei gratia Franciæ regi, et Blanchæ dominæ suæ Franciæ reginæ, major et pares communiæ Cambliacensis salutem et paratum semper in omnibus famulatum. Noverit excellentia vestra quod nos, ad mandatum vestrum per vestras litteras patentes factum, coram Johanne de Vineis, ballivo vestro, fidelitatis fecimus sacramentum, ita videlicet quod nos mandato vestro et servitio vestro in omnibus et per omnia adhærebimus et vobis et dominæ reginæ matri vestræ contra omnes homines et feminas, qui possunt vivere vel mori, semper serviemus et obediemus et quod vos et dominam reginam et filios ejus pro posse nostro servemus et custodiemus et quod propter hujus mundi homines de juridictione vestra et vestro dominio nulla tenus discedemus[1]. »

Sacramentum vero quod Ambianensis communia et quædam aliæ dixerunt paulo fusius enunciatur :

« Noverit universitas vestra nos jurasse quod

1. *Ibidem*, t. II, p. 143.

pro toto posse nostro fideliter servabimus corpus, membra, vitam et honorem terrenum karissimi domini nostri, Ludovici regis Franciæ illustris, et dominæ reginæ matris ejus et filiorum suorum et adhærebimus et nos tenebimus eidem domino regi et dominæ reginæ matri ejus et filiis suis contra omnes homines et feminas qui possunt vivere et mori[1]. »

Usitatum etiam fuit quasdam communias hommagium præstitisse quoties major in locum prioris succederet vel rex novus ad solium eveheretur. Ita se res habebant Pictaviis, Niorcii et Compniaci. Quæ communiæ, cæteris feodis omnino similes, eadem plane officia dominis præstabant. Privilegia enim Pictaviis concessa anno MCCXXII istam clausulam continent.

« Sciendum est quod cives prædicti (pictavenses) nobis (regi Franciæ) debent exercitum et equitationem ultra Ligerim in omnibus locis in quibus homines nostri de feodis Pictaviæ nobis debent exercitum et equitationem[2]. »

Quibusdam communiis licitum erat feoda quædam possidere et vassalos sibi subditos habere. Argumento sit ista charta quæ donum Avinionensi communiæ anno MCCXX concessum enuntiat, unde res satis mira clarissimam in lucem proferetur :

« Nos Raimundus, filius domini Raimundi, Dei

1. Teulet, *Layettes du Trésor des chartes*, II, 651.
2. *Ibidem*, I, 651.

gratia ducis Narbonæ, comitis Tholosæ, marchionis Provinciæ. . . . .attendentes fidei puritatem et devotionis affectum quem vos consules Avinionis et tota universitas ejusdem civitatis erga nos et dominum R., patrem nostrum præmemoratum, habuistis, considerantes etiam et habentes præ oculis grata plurimum et accepta servitia et expensas inestimabiles quas vos milites et probi homines et tota universitas prædictæ civitatis Avinionensis nobis exhibere non dubitastis, consilio patris nostri, et generalis et jurati consilii civitatis Avinionensis donamus et concedimus *in feudum*, in perpetuum absque omni exceptione et retinemento, bono animo et spontanea liberalitate, omnem dominationem et omne jus, quantumcumque vel quodcumque habemus nunc vel habere debemus, vel pater noster nunc habet vel habere debet in castro et in villa Calvimontis et in ejus tenemento vel territorio; item in villa de Thoro et in toto ejus tenemento. . . . . . Præterea dominationem et jus quod donamus vobis in prædictis locis, donamus et concedimus hoc salvo quod Petrus Amicus et liberi quondam Geraldi Amici et alii, qui in prædictis locis aliquid nomine nostro possident, non teneantur vobis nisi in eo tantum quod nobis facere tenebantur et omnia sunt eis salva quæ nunc habent et tenent in prædictis locis et omnia quæ consueverunt habere in militibus et hominibus prædictorum

locorum. Et pro hiis quæ donamus vobis et concedimus, quando ex parte nostra mutabitur dominus in comitatu Tholosæ, vel quando mutabitur dominus vel domini in prædictis locis, tenebuntur consules qui tunc in civitate Avinionensi erunt pro se et pro tota universitate Avinionensi illi domino, successori nostro, jurare fidelitatem, illam videlicet fidelitatem et eo modo quo consules accipient a dominis prædictis locorum, qui ea nomine nostro possidebant et omnia quæ in sacramento fidelitatis continentur. Et quando alia terra nostra faciet nobis vel successoribus nostris cavalcatas consules Avinionis tenebuntur nobis facere cavalcatas de illis locis prædictorum locorum, quæ nobis tenebantur facere cavalcatas, sicut illi qui prædicta loca nomine nostro et prædecessorum nostrorum possidebant eas nobis et prædecessoribus nostris facere consueverunt, ita tamen quod pro cavalcata prædictorum locorum non tenebuntur consules Avinionis nobis vel nostris præstare redemptionem, nisi probaretur quod prædecessores nostri habuissent redemptionem pro prædictis cavalcatis, etc. [1] »

Eodem die consules avinionenses propter ista feoda præstiterunt hommagium his verbis :

« Nos consules supradicti, ratione prædicti feudi nobis concessi, pro nobis et pro quibuslibet

1. Teulet, *Layettes du Trésor des chartes*, I, 511.

successoribus nostris et pro tota universitate Avinionensis civitatis et pro ipsius universitatis successoribus vobis domino Raimundo præfato et per vos domino Raimundo patri vestro et omnibus successoribus vestris, bona fide absque omni exceptione et dolo malo, homagium sive hominium facientes, fidelitatem, vitam et membra juramus, illa sex quæ in sacramento fidelitatis continentur memoriter habentes, scilicet : incolume, tutum, honestum, utile, facile, possibile. In quibus sex fidelis domino suo tenetur consilium exhibere. Et pro prædicto feudo a nobis concesso, pro nobis et pro tota universitate Avinionensi et pro omnibus successoribus nostris, sicut feudatarius teneri debet domino suo, vobis et successoribus vestris, sub sacramento prædicto bona fide per sollempnem stipulationem promittimus in perpetuum nos teneri, omni exceptioni et juris auxilio civili et canonico nobis competenti et competituro renunciantes penitus in hoc facto. Sciatur quod omnia supradicta concesserunt et confirmaverunt unanimiter pro se et pro omnibus successoribus suis et pro tota universitate Avinionis omnes illi qui sunt de consilio generali, quorum nomina sunt (sequuntur octoginta circiter nomina), etc.[1] »

Ergo trium statuum vel ordinum vassali, laïci scilicet nobiles, ecclesiastici et ignobiles, id est

1. Teulet, *Layettes du Trésor des chartes*, I, 513.

communiæ, debebant auxilium domino suo dare « pro posse suo contra omnes qui possunt vivere et mori ». Initio quidem corpore eum adjuvare, non pecunia debebant. Vassalum domino suo nihil rependere oportebat, præter ea quæ solvenda erant mutata persona possidentis, si quando feodum ex alio ad alium transferretur. Mox autem manifestum fit a feudatariis auxilia domino, æro dato, solvi, quibusdam intercidentibus; cujus rei tam novæ causa nobis diligentissime videtur explananda.

Undecimo sæculo præter omnimoda vectigalia, quibus supra modum onerabantur homines non ingenui, numero multum ceteris præstantes, domino suo rependere eam summam debebant quam exigere statuerat; erant nempe « taillabiles ad misericordiam, ad voluntatem domini »; quod quidem onus imprimis grave. Servi enim per omne vitæ tempus non sibi laborabant sed domino, qui quotannis per talliam totum operæ fructum ab eis auferebat, quique lege manus mortuæ peculium quoque miserorum, ubi vita decesserant, abradebat. Moribus cum tempore mitescentibus, servorum conditio mutata in melius et multi manumissi. Multis in locis tallia ex voluntate domini non jam exigenda; cui homines sui singulis annis ratam summam pendere jussi, quasi tributum ex pacto relatum. Sed quum inusitata quædam accciderent, de quibus ex usu convenerat

inter omnes, nec eodem modo diversis in locis, homines quamdam pecuniam domino expendere jubebantur, auxilii nomine. Quæ auxilia tertio decimo sæculo fere quadruplici genere fuerunt : cum dominus filium militem factum armaret, cum ejus natu major filia nuberet, cum accepto signo crucis in Terram Sanctam pugnaturus abiret, cum bello captum redemptionem solvere oporteret. Ista auxilia talliarum more in feodis colligebantur, unde fit ut alterum nomen pro altero temere interdum usurpetur. In regali statuto quod anno MCCXXXV de relevamentis feodorum prodiit, hoc legitur : « Et si essent homines qui talliam vel auxilium deberent, dominus non posset hoc levare. »

Etiam tertio decimo sæculo in dominio regis hinc armigeri erant et milites qui, acceptis a rege feodis, servitium ei nobile præstare debebant, inde homines ignobiles, servi vel ingenui, qui colebant terras non in feodum datas, quique præter alia officia vel tributa, regi, tanquam domino suo, auxilia collaturi erant, quoties acciderent ea de quibus ex usu ita statutum erat. Eadem erat conditio baronum, quorum sub ditione erant et vassali nobiles et villici ignobiles. Sed cum auxilia quæ rex aut barones sumere poterant ex ignobilibus dominia sua incolentibus minime sufficerent impensis quæ pro militia filii vel filiæ maritagio fiebant, id mature sunt assecuti barones

et ipse rex in dominio suo ut auxilia ista sibi vindicarent ex hominibus in feodis vassalorum suorum habitantibus.

Anno MCCXIV, Thomas, Pertici comes, has litteras patentes vassalis suis dedit :

« Thomas, comes Pertici, omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint salutem in domino. Ad universorum notitiam volumus pervenire quod milites nostri de castellania Bellimensi talliam de feodis suis et hominibus suis nobis debent tantummodo feodaliter pro his quatuor rebus quæ sequuntur : pro prima militia nostra; pro prima captione nostra de guerra; pro militia filii nostri primogeniti viventis et pro prima filia nostra maritanda. Præter has tallias nec a militum feodis nec ab eorum hominibus tallias possumus feodaliter extorquere[1]. »

Parisiensis episcopus, anno MCCXXII, mense decembri, pactione cum rege facta, hæc palam profitetur :

« Habet si quidem dominus rex et successores sui in Burgo Sancti Germani, in Cultura Episcopi, et in Clauso Brunelli exercitum et equitationem vel talliam propter hoc factam et guetum, sicut in communi villa Parisiensi; et habet super homines illius burgi et Culture Episcopi et Clausi Brunelli talliam quotiens filios suos faciet milites novos et quando filias suas maritabit et etiam si redime-

1. Brussel, *Usage des fiefs*, I. 414.

retur de captione proprii corporis sui facta in guerra et eodem modo habebunt talliam successores sui super homines prædictos. Propter alias autem causas non possunt a domino rege vel successoribus suis talliari dictorum locorum homines sine assensu episcopi[1]. »

Reges et barones, intra dominium suum, jus sibi comparaverant auxilium petendi ab hominibus vassalorum suorum cum quædam inciderent consuetudine definita. Hi vassali sine dubio dominis talia sibi vindicantibus parum obstiterant ut qui nullam partem subsidii tolerarent. Sumebant enim ab hominibus suis totum istud auxilium, cujus partem quamdam sibi ex consuetudine prælibabant[2]. Tertio decimo sæculo barones, auxilium quoddam in vassalorum suorum feodis collecturi, debebant eos convocare ut de summa deliberarent et inter diversa feoda quæ baronia contineret pro portione dividerent. Quicumque vassalorum non erat cum ceteris vocatus is ex jure poterat auxilium in terra sua non colligere. Ergo a dominis, nobilibus aut clericis, auxilium ab hominibus suis colligendum concessum fuisse regi vel baroni oportebat.

1. Teulet, *Layettes du Trésor des chartes*, I, 554.

2. Lettre par laquelle Philippe le Bel reconnait que les seigneurs du comté d'Alençon lui ont abandonné à titre gracieux la part qui devait leur revenir sur les impositions levées sur leurs hommes, à l'occasion du mariage de sa fille aînée. Cette lettre a été publiée par Boutaric dans *Notices et Extraits de Documents Inédits relatifs à l'Histoire de France sous Philippe le Bel*, Paris, 1861, in-4° p. 123.

Communiæ, solvendis istis auxiliis, majora sane impedimenta attulerunt quum hinc ejusdem collegii participes hanc pecuniam ipsi penderent, inde plurimæ chartæ quibus communiæ fuerant concessæ burgensibus cujuslibet generis tallias eximerent. Scriptum est in charta Montepessulano anno MCCIV data : « Toltam vel quistam, vel mutuum coactum, vel aliquam exactionem coactam non habet nec unquam habuit dominus Montispessulani in habitatoribus Montispessulani, præsentibus et futuris[1]. »

In quibusdam tamen communiis dominus sibi retinuerat facultatem auxilia tollendi si quidam casus inciderent. In charta quæ nobis Abbatisvillæ consuetudines refert, id invenimus : « Nec silentio prætereundum est quod tantum tria auxilia iidem burgenses michi tenentur ex debito solvere : centum videlicet libras Pontivensis monetæ ad filium meum militem faciendum, centum libras filiæ meæ conjugandæ, centum libras ad redemptionem meam de captione[2]. » Sed rarius id evenit. Initio nullum auxilium a communiis solvendum erat, nisi prius ab ipsis concessum. Charta quæ anno MCL ab Angliæ rege Rotomagi incolis concessa est ista continet : « Quod nec talliam faciam super eos nec res eorum capiam, nisi sua bona voluntate præstare voluerunt michi[3]. » Quæ

1. Teulet. *Layettes du Trésor des chartes*, t. I, p. 261.
2. *Ibidem*, 141.
3. Giry, *Établissements de Rouen*, t. II, 58.

clausula confirmata fuit a rege Franciæ Philippo Augusto, anno MCCVII, in hunc modum : « Nec nos cogemus eos ad reddendum nobis talliam per consuetudinem, nisi sponte sua nobis dare voluerint[1]. » Idem privilegium fuit concessum multis civitatibus quæ Rothomagi stabilimentorum participes factæ sunt.

Anno MCCXLVIII Tolosæ comes idem jus Gailliaci incolarum esse professus est charta sequenti :

« Noverint universi præsentes litteras inspecturi, quod nos Raimundus, Dei gratia comes Tholosæ, marchio Provinciæ, promittimus per nos et per omnes successores nostros burgensibus et toti universitati villæ et burgi Gailliaci, præsentibus et futuris, quod ipsos et omnes successores eorum in perpetuum infra burgum et villam Galliaci et extra in cunctis locis tenebimus in illis libertatibus in quibus ipsos et antecessores eorum successores nostri et nos tenuimus temporibus retroactis, profitentes et recognoscentes quod in burgensibus et hominibus Galliaci supra dictis universaliter vel singulariter quistam, talliam vel mutuum non habemus, nisi ipsi talliam nobis vellent dare vel mutuum facere de eorum spontanea voluntate[2]. »

Ut res paucis concludatur, liquet regem in dominio suo baronesque in feodo suo potuisse

1. Giry. *Établissements de Rouen*, t. II, p. 58.
2. D. Vaissette, *Histoire du Languedoc*, édition, Molinier t. VIII, col. 1248.

exigere auxilium ab hominibus suis terram *indominicatam* incolentibus itemque a suis vassalis petere ut sibi darent auxilium ab hominibus qui in eorum feodis manerent exactum. Quædam communiæ debebant, iisdem temporibus, dominos suos adjuvare; plures autem ab omnibus talliis immunes erant; regem igitur baronesque oportebat a communiis auxilium optatum poscere; quod ut efflagitabatur, ita poterat abnui. Id jus erat; fatendum est tamen perraro negata fuisse quæ poscebantur auxilia.

Auxilia quæ vassali trium statuum vel ordinum sponte domino capitali concesserant *libera vel gratiosa* dicebantur; quæ autem exacta, quoties consuetudo vellet id fieri, auxilia *consuetudinaria, vel legitima aut directa* vocabantur. Acta vero, quibus dominus quidam, nobilis aut clericus, vel communia, talliam dabat vel donabat vel concedebat ex hominibus suis aut burgensibus colligendam dicebantur *donum auxilii.*

In Anglia regi licebat consuetudinaria auxilia in toto regno percipere. Magna charta anno MCCXV concessa duos continet articulos, quos ex sententia baronum, qualem inchoatam sibi detulerunt, rex Joannes ita conscripsit : « Nullum scutagium vel auxilium ponatur in regno nostro, nisi per commune consilium regni nostri, nisi ad corpus nostrum redimendum et ad primogenitum filium nostrum militem faciendum, et primogenitam

filiam nostram semel maritandam et ad hæc non fiat nisi rationabile auxilium..... Nos non concedemus de cetero alicui quod capiat auxilium de liberis hominibus suis, nisi ad corpus suum redimendum et ad faciendum primogenitum filium suum militem et ad primogenitam filiam suam semel maritandam et ad hæc non fiat nisi rationabile auxilium[1]. »

Vergente autem in finem duodecimo sæculo poterant adhuc britannici barones a vassalis suis auxilium sumere quo feodorum suorum relavamenta solverentur, quod manifestum fit ex eo gravissimo et imprimis notabili loco libri quem celeberrimus jurisconsultus Glanville in lucem edidit, finem habente regno Henrici II :

« Dicitur autem rationabile relevium alicujus juxta consuetudinem regni, de feodo unius militis centum solidos, de socagio vero quantum valet census illius socagii per unum annum ; de baronniis vero nichil certum statutum est, quia juxta voluntatem et misericordiam domini regis solent baroniæ capitales de suis releveiis domino regi satisfacere.

« Postquam vero convenerit inter dominum et heredem tenentis sui de rationabili relevio dando et recipiendo, poterit idem heres rationabilia auxilia de hominibus suis exigere, ita tamen mo-

1. Stubbs, *Select Charters*, Oxford, 1874, in-8°, p. 298.

derate secundum quantitatem feodorum suorum et secundum facultates, ne nimis gravari inde videantur vel suum contenementum amittere. Nihil autem certum statutum est de hujusmodi auxiliis dandis et exigendis, nisi ut prædicta forma inviolabiliter reservetur.

« Sunt præterea alii casus in quibus licet dominis auxilia similia, sed sub forma præscripta, exigere ab hominibus suis, veluti si filius et hæres suus miles fiat, vel si primogenitam filiam suam maritaverit. Utrum vero ad guerram suam manutenendam possint domini hujus modi auxilia exigere quæro. Obtinet autem quod non possunt ad id tenentes distringere de jure, nisi quatenus facere velint. Possunt autem domini tenentes suos ad hujusmodi rationabilia auxilia reddenda, etiam suo jure, sine præcepto domini regis vel ejus capitalis justitiæ, per judicium curiæ suæ distringere per catalla quæ in ipsis feodis invenerint, vel per ipsa feoda, si opus fuerit, ita tamen quod ipsi tenentes inde deducantur juste secundum considerationem curiæ suæ et consuetudinem rationabilem ; si ergo ad hujusmodi auxilia rationabilia reddenda posset aliquis dominus tenentes suos ita distringere, multo fortius districtionem eo modo licite poterit facere pro ipso releveio suo vel pro necessario servitio suo de feodo sibi debito[1]. »

1. Stubbs. *Select Charters*, p. 163.

In Francia minime certum est regi licitum fuisse tollere subsidia in regionibus, quæ magnorum vassalorum erant, propter primogeniti militiam aut filiæ majoris natu maritagium. Quum Alphonsus, sancti Ludovici frater et Pictavorum comes, anno MCCXLI miles factus fuit, auxilium ab urbibus comitatus sui postulavit, a quibus accepit satis ampla dona. Credendum est etiam auxilium ab ipso collectum in baronum suorum feodis; quod tamen est in incerto. Sanctus Ludovicus item, militiam adeunte primogenito suo et nubente Isabella filia, petiit auxilium ab urbibus sui dominii. Aliquæ autem, inter quas Biturices et Exoldunum, id abnuerunt, prætendentes se eximi chartis a tolta et tallia, neque se teneri vel privilegiis a regibus Francie sibi concessis vel consuetudine ut tale auxilium donarent. Sed parlamenti sententia jussi sunt magnam pecuniæ summam in hoc persolvere. Quæ sententia adversus Bituriges lata probe demonstrat qualem eo tempore quæstio quæ agitur se habuerit.

« Petebatur pro domino rege, tanquam jus suum et de jure communi sibi debitum a civibus Bituricensibus auxilium pro militia domini Philippi, primogeniti sui, qui nunc regnat, mortuo patre suo, et pro maritagio reginæ Navarræ, filiæ suæ primogenitæ. Responsum fuit pro civibus ipsis quod ad auxilium sibi debitum minime tenebantur, cum talia nunquam solverint, nec in

partibus illis solvi consueverint et maxime cum ab hujusmodi consuetudine quitti sint per cartam suam regiam quæ eos a tolta, tallia, bocagio et culcitrarum exactione omnino liberat. E contra dicebatur pro rege quod predicta verba cartæ non juvabant eosdem, cum illud, quod ab eis petitur, non sit tolta, tallia, bocagium sive culcitrarum exactio, sed quoddam jus domino regi debitum de regni consuetudine generali ; in quo non sufficit aliquem allegare quod non solverit nisi contra consuetudinem hujusmodi speciale privilegium ad sui deffensionem ostendat. Quod autem dicebant non esse consuetum in partibus suis persolvi talia, non faciebat pro eis, cum ipsi de servitute manumissi, de quibus ante manumissionem pro voluntate sua capere poterant et levare, nullum contra jus commune libertatem vel quittanciam proponere valeant, nisi quantum a manumittente domino fuerit eis concessum. Tandem visa carta eorum et auditis hinc et inde propositis, judicatum fuit quod ipsi cives ad præstandum domino regi prædictum auxilium sibi debitum tenebantur et, consideratis villæ facultatibus, taxatum fuit per curiam dictum auxilium sibi debitum ad duo millia librarum Turonensium[1]. »

Eadem sententia burgenses Duni-Regis et Exolduni attigit. Notandum tamen est Bituriges, Du-

1. *Olim*, édition Beugnot, I, 848.

num-Regis, Exoldunum, propriis verbis, non apte dici potuisse communias, quum privilegiis non ex omni parte absolutis fruerentur. Eadem erat conditio bonarum urbium adversus quas anno MCCLXX hæc lata est sententia :

« Cum peteretur, sicut et ab aliis bonis villis, ratione militiæ primogeniti domini regis, auxilium ab hominibus de Ulmeia subtus Nogentum et ab hominibus Montis-Calveti, Aneti et Breevallis, responsum fuit, ex parte dictorum hominum, quod ad solvendum hujusmodi auxilium minime tenebantur, cum in partibus illis non sit consuetum solvi talia nec ipsi unquam talia solverant ut dicebant. E contra dicebatur pro rege quod ipsi, per generalem consuetudinem terræ, tenebantur ad præstandum hujusmodi auxilium, nisi possent se tueri super hoc per privilegium speciale : Demum, audito per ballivum Medontæ, qui de mandato curiæ super hoc addiscere debuit, quod in comitatu Carnotensi, de quo exivit castellania Nogenti, et in castellaniis vicinis solvuntur talia, prononciatum fuit quod dicti homines de Ulmeia, de Monte-Calveto, de Aneto et de Breevale, præsertim cum non ostenderent privilegium aliquod per quod possent super hoc se tueri, dictum auxilium solvere tenebantur[1]. »

Ergo anno MCCLXX regia potestas contendebat

1. *Olim*, édition Beugnot, I, 832.

« auxilium pro militia primogeniti domini regis esse quoddam jus domino regi debitum de regni consuetudine generali » omnesque bonas urbes, nisi peculiari quodam privilegio tali exactione eximerentur, eam exsolvere debere. Attamen etsi curia regia hanc judicandi rationem comprobaverit, id jus recentius esse usurpatum apparet; nam anno MCCLXXXV eædem bonæ urbes iterum auxilium abnuerunt et solvere jussæ sunt hac sententia :

« Visis cartis villæ Aurelianensis et aliarum bonarum villarum de Aurelianesio et Wastineto, pronuntiatum fuit quod dictæ cartæ non defendunt eos, quin domino regi teneantur solvere auxilium pro militia primogeniti sui, quemadmodum nobiles de partibus illis levant a suis subditis. Similiter pronuntiatum fuit contra homines de Nogento, de Ulmeia, de Monte-Calveti et de quibusdem aliis villis ballivIæ Gisorcii quæ nullas cartas habebant[1]. »

Philippus quartus id pro rato habuit, cum filiam Isabellam collocaturus auxilium legitimum percepit, unde ortæ sunt multæ contentiones præsertim in Neustria et in Aurelianesio. Anno MCCCVIII gentibus scacarium Rothomagi tenentibus et ballivis in Neustriæ ducatu institutis hæc scripsit :
« Cum nuper mandaverimus levari subsidium a

1. *Olim*, édition Beugnot, II, 245.

subditis nostris ratione maritagii carissimæ filiæ nostræ Isabellæ, Angliæ reginæ, nonnulli de partibus Normanniæ nobiles et ignobiles nostram adiere præsentiam in dubium revocantes utrum nobis liceret, sine injuria et absque indubita novitate, levare dictum subsidium in toto ducatu Normanniæ, tam a subditis nostris immediate quam a subditis subditorum nostrorum.

« Nos igitur visis registris consuetudinum Normaniæ ac diligenter inspectis registris insuper nostris, Parisiis habita deliberatione super his pleniori, decrevimus et declaramus nobis deberi dictum subsidium in ducatu prædicto tam a nostris immediate subditis quam a subditorum nostrorum subjectis ac levari præcipimus subsidium memoratum[1]. »

Anno sequenti parlamentum ea quæ episcopi et ecclesiastici domini in contrario proposuerant rejecit gravi sententia, cujus notitiam nobis præbet id mandatum a rege ballivo Caletensi missum :

« Cum nos subventionem in ducatu Normanniæ pro maritagio carissimæ primogenitæ nostræ illustris Angliæ reginæ nobis debitam nuper faceremus levari et ad requisitionem prælatorum ducatus prædicti, episcoporum, abbatum et aliarum personarum ecclesiasticarum dicti ducatus, quantum ad liberas personas dicti ducatus laicales, subjectas

1. *Ordonnances*, I, p. 453.

eisdem vel tenentes ab eis, suspendi fecissemus dictæ subventionis exactionem, quousque prelatorum prædictorum et aliarum personarum ecclesiasticarum dicti ducatus fecissemus audiri requestas et rationes, quas ad illum finem volebant proponere, ut dicebant, quod nos subventionem hujusmodi a dictis personis, subjectis eisdem vel tenentibus ab eis, de ratione non poteramus nec debebamus levare : tandem in parlamento nostro, Parisius, coram nobis et consiliariis nostris.... per arrestum nostræ curiæ dictum fuerit quod prædicti prælati et personæ ecclesiasticæ supradictæ nichil proposuerunt rationabile, quare non possimus et debeamus dictam subventionem facere levari a liberis personis laicalibus, ipsis prælatis et ecclesiasticis personis subjectis vel tenentibus ab eisdem.... et injunctum fuerit quod ballivi et personæ ad hoc deputatæ a prædictis personis sicut ab aliis dicti ducatus habitatoribus levent subventionem prædictam[1]. »

Neustria quidem ab exacto sæculo regalis dominii pars effecta fuerat, nec mirum est regem in feodis vassalorum suorum eadem sibi comparare potuisse quæ isti ex hominibus suis de paribus causis sibi vindicabant. Sed id præsertim mirum esse videtur potuisse reges illud auxilium repetere etiam in feodis quæ ecclesiarum essent; clerici enim ab

1. *Ordonnances*, I, p. 472.

hominibus suis idem auxilium non exigebant. In hac re sicut in ceteris per jurisconsultos regiæ potestati addictos consuetudo latius procedebat et toto regno in universum usum vertebatur. Qua ratione niterentur facile intelliges ex hoc mandato quod Philippus IV, anno MCCCXI, ballivo Aurelianensi misit :

« Mandamus tibi, quatinus in terris nostri domanii juxta incolarum ipsarum exigentiam facultatum, nec non in terris baronum seu alterorum justitiatorum tuæ bailliviæ et ejus ressorti, modo et in quantitate quibus ipsi barones subsidium maritagii filiarum suarum in iisdem terris suis exigere consueverunt, subsidium maritagii Isabellis, reginæ Angliæ, filiæ nostræ, sine dilatione, præsentibus receptis, exigi facias et levari.... etc. [1] »

In summa sanctus Ludovicus et filius ejus atque nepos auxilia solvi sibi jusserunt ob primogeniti militiam et primogenitæ maritagium ; eadem exegerunt a bonis urbibus, licet aliquæ chartas proferrent quibus se talliæ cujusvis et exactionis immunes esse testarentur ; eadem etiam in ecclesiarum terris collegerunt. Id auxilium in feodis baronum eodem modo colligebatur quo ipsi utebantur in pari rerum occursu. Sed nos fugit utrum auxilia intra fines optimatum, scilicet in ducatu Burgundiæ, in comitatu Flandriæ, vel in ducatu Britan-

1. Brussel, *Usage des fiefs*, II, 898.

niæ percepta fuerint, necne. Verisimile auxilia tantum ex his provinciis sumpta quæ dominii regii specialiter erant.

Paulo post a parlamento decretum est regibus non licere tollere hujus modi auxilia in urbibus quæ non immediatæ suæ ditionis essent. Anno MCCCXXXIV, milite facto primogenito regis, controversiæ multæ eruperunt, quibus vicesima die decembris finis impositus est hac sententia :

« Cum nos exigere et levare faceremus per regnum nostrum subsidium, nobis debitum ratione seu pro militia carissimi primogeniti nostri Johannis, ducis Normanniæ, plures diversarum villarum, videlicet senescalliæ Bigorræ, senescalliæ Tholosæ, judicaturæ Ripariæ, Albigesii, Rivorum, Lauragesii, Villælongæ, civitatis Tholosæ, Villefranche, Villænovæ, Amilliavi, Sancti Anthonii, burgi Carcassonnæ, Sancti Romani de Tarno, civitatis de Trecis, Barri super Albam, Pruvini, Fimes, Calvimontis in Bassigniaco, Carnoti, Montis Ferrandi, Riomii, Figiaci, Montiscaprarii, Montisdomæ, Aurelianis, Latigniaci, Meldis, Caturci, villæ de Fontibus, Nemausi, villæ Submidrii, castri de Cordua, Sancti Africani, Matisconis, Sanctæ Gavellæ, Tarbiæ, Vasati, Lingonis, Laurriaci, Yenvillæ, Vitriaci, Montisargii, Bosconis, Yevræ, Baugensii, Chesy, Narbonæ, Moissiaci, Sancti Pietri Monasterii, Paluæ, Montispessulani, Aleti, bastidæ de Tauriaco et

plurium aliarum villarum se in contrarium opposuissent, aliquibus predictorum de domanio nostro et immediate nobis subditis in totum vel in parte existentibus, aliis solum quoad jurisdictionem nobis subditis per pariagium, associationem vel alias, non tamen de nostro domanio in aliquo, ceteris vero nec de nostro domanio seu ratione jurisdictionis nobis immediate subditis sed potius aliis dominis, ut dicebant, plures proposuissent rationes ac etiam in scriptis tradidissent, certa etiam privilegia exhibentes ac producentes ad finem quod pronunciaretur ipsos non teneri solvere prædictum subsidium; procuratore nostro ex adverso plures proponente rationes ad finem quod non obstantibus propositis seu etiam exhibitis ex adverso, dictum subsidium nobis solvere tenerentur. Auditis igitur prædictis partibus, visisque rationibus hinc inde propositis et traditis, ac etiam prædictis privilegiis et aliis quæ tradere voluerunt, habitaque super hiis deliberatione consilii cum prælatis, baronibus, ac aliis de consilio nostro per arrestum curiæ nostræ dictum fuit ac etiam declaratum per hunc modum, videlicet quod habitatores dictarum villarum, quæ sunt de domanio nostro in totum, nobis immediate subditi, integrum nobis solvent subsidium; illi vero qui non sunt in totum de nostro domanio sed in parte et immediate subditi dictum solvent pro parte similiter subsidium; ceteri vero, qui, licet sint ratione juridictionis no-

bis subditi per pariagium, associationem vel alias, non tamen de domanio nostro in aliquo ut præfertur, vel qui non sunt nobis immediate subditi, subsidium nobis solvere non tenentur[1]. »

Extra dominium suum regibus illicitum fuisse constat sumere auxilia propter maritagium vel militiam primogeniti ex hominibus quos non immediate sibi subditos haberent; sed effecerant ut jure possent eadem exigere ex urbibus sitis intra fines suos, etiamsi privilegiis niterentur omnes tallias et quodlibet tributi genus sibimet eximentibus. Simul per provincias quæ regno accesserant, jus illis concessum eadem tollendi in feodis baronum quo modo iidem isti faciebant, milite filio armato vel filia in matrimonium collocata. Sed necesse erat regem a baronibus, quorum homines talliam vel auxilia daturi erant vel a bonis urbibus quorum burgenses pendere ista debebant, postulare ut statuerent summam ab unaquaque baronia vel urbe persolvendam. Rarissime enim evenit ut auxilii fuerit æstimatio qualiter in Abbatisvillæ privilegiorum charta. Quod ad barones attinet, erat unde id decerneretur. Rex enim petebat ut sibi vellent ab hominibus suis eamdem pecuniæ summam exigere quam in tali casu proprio nomine suo tulissent. Barones autem, etsi summo jure non adigerentur ab hominibus suis postulare quanti

1. *Archives nationales*, X[1a], vol. 7, f° 11.

censeri possent, sed ut antea ipsis liceret ad arbitrium suum talliam vel maximam extorquere, cogente tamen consuetudine, nihil nisi *rationabile auxilium* exigere poterant quodque hominum suorum facultates non excederet. Hæc consuetudo in Anglia eadem vigebat atque in Francia, idque innotuit ex loco quodam operum jam laudati jurisconsulti anglici, quem supra retulimus.

In fine tertii decimi sæculi reges Angliæ non agebant cum singulis baronibus, convocatos autem prælatos et regni barones rogabant quæ summa in unoquoque feodorum esset exigenda.

« Memorandum quod in crastino Sanctæ Trinitatis, anno regni regis decimo octavo, (anno Domini MCCXC) in pleno parlamento ipsius domini regis, Robertus. . . . . et cæteri magnates et proceres, tunc in parliamento existentes, pro se et communitate totius regni quantum in ipsis est, concesserunt domino regi, ad filiam suam primogenitam maritandam, quod ipse dominus rex percipiat et habeat tale auxilium et tantum quale et quantum dominus Henricus rex pater suus percepit et habuit de regno ad filiam suam, videlicet sororem domini regis, nunc regi Scotiæ maritandam ; et licet idem dominus Henricus rex tempore illo ad prædictum auxilium plenarie non percepit de quolibet feodo militis, nisi tantum modo duas marcas vel parum plus, prædicti tamen prælati, comites, barones et proceres, concesserunt

quod dominus rex percipiat et habeat de quolibet feodo militari quadraginta solidos hac vice plenarie et integre; ita tamen quod alias non cedat eis in præjudicium vel consuetudinem et ita quod istud auxilium nunc concessum levetur eodem modo quo prædictum auxilium domino Henrico regi concessum, ut prædictum est, levabatur[1]. »

Ineunte vero tertio decimo sæculo Angliæ reges etiam tum hac agendi ratione utebantur, quæ apud nos diu permansit, postquam apud vicinos obsoleverat. Cum unoquoque baronum vel cum una civitate privatim rex ambigebat quanta foret mensura auxilii. Scriptum fuit in Anglia initio tertii decimi sæculi quoddam opusculum, *Dialogus de Scacario* nominatum, unde possunt excerpi quæ doceant quo pacto de his inter urbes regemque eo tempore convenerit in utraque regione.

« Noveris quod plurimum interest si *donum vel auxilium* civitatis per singula capita commorantium in ea a Justitiis constituatur, vel si cives summam aliquam, quæ principe digna videatur, justiciariis offerant et ab eis suscipiatur. Dispar enim in his duobus modus est coercionis; si enim per singulos a judicibus constitutum est donum et quilibet eorum solvendo non fuerit, lex predicta de civibus non solventibus servatur, ut scilicet domibus et redditibus usque ad solutionem privetur.

1. Stubbs, *Select Charters*, 477.

At si dictum est a civibus « dabimus regi mille libras » et hæc summa digna suscepi judicetur, ut statutis terminis eadem exsurgat ipsi provideant[1]. »

Sic usitatum fuit in Francia usque ad mediam partem quindecimi sæculi. Notanda est quædam, lata a curia regis anno MCCLXX, sententia qua novimus plane quomodo se res haberent :

« Cum dominus rex petivisset auxilium sibi fieri a villa Stampensi, sicut et ab aliis villis, pro militia domini Philippi, filii sui, et pro facto negotii sui transmarini, antequam homines dictæ villæ certum quid domino regi super hiis respondissent, Theobaldus de Novo-Vico, burgensis dictæ villæ, a dicta villa recessit, alibi super suum feodum moraturus. Processu temporis, cum burgenses Stampenses domino regi concessissent, pro dicto subsidio, certam pecuniæ quantitatem, dictum Theobaldum talliaverunt pro rata ipsum contingente de dicto subsidio sicut et alios burgenses villæ ejusdem. Conquerente igitur super hoc dicto Theobaldo et dicente quod nichil inde solvere tenebatur, cum antequam ipsi domino regi promisissent, ipse villam Stampensem exisset, nec post fuerit eorum burgensis; dictis burgensibus respondentibus ex adverso quod licet pro tempore promissionis ab eis factæ non moraretur in

1. Stubbs, *Select Charters*, p. 235.

villa, nichilo minus tamen tenebatur ad ratam suam solvendam, cum, tempore quo dominus rex ab eis petiit, esset eorum burgensis. Demum, auditis hinc inde propositis, quia dominus rex petierat a dicta villa, antequam dictus Theobaldus recederet ab eadem. . . . . pronunciatum fuit quod dictus Theobaldus solvere tenebatur[1]. »

Rex petebat a communiis et bonis villis ut auxilium quam amplissimum possent sibi concederent et istæ, re sæpe in longam disceptationem adducta, pollicebantur se certis temporibus summam quamdam numeraturas, quæ *donum* vel *auxilium* vocabatur. Videbimus infra quid factum sit quando rex summam a burgensibus congregatis oblatam judicaret insufficientem, communia autem in proposito perstaret.

1. *Olim*, I, p. 805.

CAPUT III

Si quis dominus bello caperetur, illi quoque licitum erat auxilium ab hominibus suis exigere redimendi sui causa. In simili casu rex quoque poterat auxilium tollere in ditione sua et ex hominibus qui sibi immediate subditi erant, item ex his qui in feodis vassalorum sibi proxima fidei lege devinctorum manebant, denique ex communiis bonisque urbibus. Tertio decimo sæculo rex Franciæ quidam in vincula conjectus est, cui vacabat auxilium poscere redemptionis causa; sed de bello religionis causa suscepto tum agebatur et impensa redimendo a Sarracenis sancto Ludovico eroganda in unum collata sunt cum iis quæ pertinebant ad sacrum bellum cujus causa singulare quoddam auxilium collectum erat.

Ad sacrum bellum nullus procerum se accingere poterat nisi maximis impensis quibus tolerandis annui redditus non sufficerent. Qui primum abierunt in terram sanctam accepta cruce pugnaturi, amplissimas tallias collegerunt ex hominibus suis, quorum plures tunc temporis ad misericordiam domini erant taillabiles. Ubi autem tallia ad volun-

tatem domini tollenda mutata fuit hinc in vectigal annuum, inde in auxilium certis temporibus colligendum, in omnibus fere locis sui juris effecerunt proceres ut talliam inusitatam tollerent in terram sanctam profecturi.

Tum reges et magni barones id quoque pervicerunt ut pariter sibi liceret, ea de causa, ex hominibus vassalorum suorum talliam percipere, quemadmodum tollerent ob militiam filii vel filiæ maritagium.

Anno MCXLVI, rex Franciæ, Ludovicus septimus, in toto regno inusitata vectigalia exegit unde suppeditarentur impensa belli quod suscepturus erat ut regno Jerosolymitano ferret opem. Sed non plane novimus qua ratione maximas pecunias quibus egeret sibi comparaverit.

Quidam ferunt illum in regno suo vel intra ditionem suam auxilium feodale exegisse. Sed scriptum loco auctoritatis allatum non id significat quod arbitratu suo quidam interpretantur[1]. Exhibent enim epistolam qua Ludovicus VII Sugerio nuntiat adfuisse sibi Templi milites et opem præstitisse, ministrum ergo suum jubet illis ea restituere quæ sponte commodaverunt :

« Honoris ac reverentiæ et sustentationis summam quam mihi et meis fratres Templi obtulerunt, postquam in partes Orientis perveni discretionem

1. Callery, *Histoire du pouvoir royal d'imposer*, p. 26.

tuam latere minime volo. Non enim video nec videre possum, quomodo etiam per parvi temporis spatium in partibus illis permanere vel moram facere potuissem, nisi eorum præcedente auxilio et sustentatione, quæ nunquam mihi defecit a primo die quo in partibus illis fui usque in hunc diem quo litteræ istæ a me decesserunt; et tunc maxime in eodem perseverabant. Quo circa tuam obnixe deprecor dilectionem, quod, si antea Dei amore ipsos diligebas, nunc quam maxime Dei et nostri amore eos diligere et manutenere non renuas, ita quod sentiant me pro ipsis intercessisse. De cetero autem pecuniam non modicam ex mea parte mutuasse et super se accepisse tibi notifico, pro cujus redditu, etc.[1] »

Non dici potest, hac epistola perlecta, Templi milites in Asia habitantes, cum opem regi Franciæ spontanea liberalitate præstarent, auxilium quoddam feodale solvisse.

Memorantur etiam Petri Venerabilis ad eumdem Ludovicum litteræ quæ nihil in re quæ agitur utile possunt afferre. Id unum enim testantur christianorum fuisse adjuvare regem, laborantem in bello religionis causa suscepto. Præclarus abbas Cluniaci, judæorum minime fautor, postquam odium quo movetur in miseros effudit, non tamen e vita tollendos esse censet, sed regem admonet de judæis

1. *Historiens de France*, t. XV, p. 501.

potius quam de christianis exigi oportere sumptus incepto peragendo mirum in modum necessarios :

« Reservetur eis vita, auferatur pecunia ut per dextras christianorum adjutas pecuniis blasphemantium Judæorum expugnetur infidelium audacia Sarracenorum. Serviant populis christianis, etiam ipsis invitis, divitiæ Judæorum ; sicut olim, cum Deo placerent, patres eorum, Deo jubente, sunt eis ad serviendum traditæ divitiæ Ægyptorum. Hæc tibi, benigne rex, scripsi amore Christi, tuiqne atque exercitus christiani ; quia et stultum esset nec offensa, ut arbitror, divina careret, si sacræ expeditioni, cui juxta congruentem modum impendendæ sunt res christianorum, multo amplius non servirent pecuniæ profanorum[1]. »

Ibi ne verbum quidem ullum invenies unde sequatur a Petro Venerabili feodale quoddam auxilium intelligi.

Dicitur etiam Ludovicus VII fidelitatem vassalorum suorum appellasse, hujusmodi postulans auxilium ab eis, tum anno MCXLVI, tum rursus anno sequenti. De scriptis autem allatis ab auctore cujus mentio fit in præsens, nullum simile quidquam habet. Utitur enim litteris ad Sugerum a Ludovico VII missis, unde præsertim sunt excerpenda quæ sequuntur :

« De cætero, rerum status ipse nos admonet,

1. *Historiens de France*, t. XV, p. 643.

immo et urget et arguit ut admonitionis vestræ memores simus, de pecunia scilicet perquirenda, quæ post vestigia nostra in usu impensarum nostrarum deferatur. Super quo dum præsentes essemus, impedientibus rerum ingentibus impedimentis, vobiscum, prout oportuit, loqui ac disponere non potuimus. Modo vero quotidiana impendia gravia sustinentes ad vestram recurrimus probatam fidelitatem, ut eo quo totus in nobis ad honorem nostrum caritatis affectu semper ardetis, necessitates nostras subsequenti auxilio sublevetis. Quomodo vero id faciatis, sive de nostro seu de vestro pecuniam sumptam nobis mittatis, melius novit, melius sapit et facere et discernere discreta prudentia vestra quam providentia nostra. In manu quippe vestra sunt omnia, quæ tanquam vestra dispositioni vestræ atque sollicitudini per totum regnum providenda commisimus atque ideo tam de nostro quam de vestro, quod petimus, facere poterit opportune dilectio vestra, quoniam ita exigit necessitas nostra[1]. »

Altera etiam apertior epistola :

« De perquirenda vero pecunia, quam nobis in usus quotidianos pernecessariam vestra prudentia non ignorat, vos rogamus et quanta possumus instantia precum petimus et per debitam nobis dilectionem et fidem vos obsecramus, ut vigili sol-

1. *Historiens de France*, t. XV, p. 487.

licitudine, quibuscumque poteritis modis, mittendam nobis pecuniam diligenter colligere collectamque mittere festinanter sine cunctatione studeatis[1]. »

Istæ epistolæ nihil aliud monstrant nisi Ludovicum VII eguisse multa pecunia ministrumque suum rogavisse ut eam modis quibuslibet collectam sibi transmitteret. Quam autem fidelitatem a Sugerio Ludovicus VII petebat, eam debebat regi minister ejus et nihil præter nomen habebat commune cum ista fidelitate qua suo domino vassalus erat obstrictus.

Dixit idem scriptor « vectigalia collecta fuisse non a rege solum sed a proceribus qui in Terram Sanctam transvecti sunt. Quod testatur querela apostoli Eugenii III ad Ludovicum VII. Nempe Suessionensis comes auxilium feodale sibi præstari jusserat a Sancti Medardi monasterio[2]. » Illud autem breve summi pontificis, Sugerio non Ludovico VII missum, nulla ex parte significat hic agi de auxilio quodam feodali.

« Eugenius episcopus, servus servorum dei, dilecto filio Sugerio, abbati sancti Dionysii salutem et apostolicam benedictionem. Notitiæ tuæ non

1. *Ibidem*, 488.

2. « Les redevances furent perçues non seulement par le roi, mais aussi par les seigneurs qui s'embarquèrent pour la Terre-Sainte. Nous en trouvons la preuve dans une réclamation adressée à Louis VII par le pape Eugène III. Le comte de Soissons avait en effet soumis à l'aide féodale le monastère de Saint Médard. » Callery, l. c.,

exstat incognitum monasterium beati Medardi Suessionensis juris beati Petri existere et ad defensionem ejus et sanctæ romanæ ecclesiæ specialiter pertinere. Et quia idem monasterium ab Ivone, comite Suessionensi, occasione pecuniæ quam ab abbate ipsius loci exigit, sicut accepimus, plurimum prægravatur, discretioni tuæ per apostolica scripta rogando mandamus quatinus pro reverentia beati Petri ac nostra ipsum abbatem et fratres ejus super hoc et aliis in quibus tuo indiguerint auxilio juves et manuteneas et eorum erga regiæ dignitatis excellentiam, cujus familiaritatis et consilii talentum accepisse cognosceris, intercessor et adjutor existas, ut beati Petri et sedis apostolicæ majorem promerearis justitiam[1]. »

Cæteroquin valde dubium est pecuniæ summam quam Suessionensis comes a monasterio solvi sibi jusserat sub auxilii feodalis titulo repetitam esse. Compertum est enim clericos qui mercaturam non exercebant et multo magis conventus immunes tali auxilio fuisse quod tantum ex hominibus in feodis quæ prelati vel ecclesiæ tenerent incolentibus exigendum erat. Ut impensa bello sub cruce gerendo necessaria pro parte sua tolerarent ecclesiæ, propria quædam vectigalia solvebant, id assensu vel etiam jussu summi pontificis perpessæ. Verisimile est comitem Suessionensem injuria voluisse monas-

1. *Historiens de France*, XV, 436.

terium sancti Medardi cogere ut simile vectigal expenderet illius quod papa concesserat regi sumendum ab omnibus regni ecclesiis.

Mirum est omnia pertinentia ad vectigal eo tempore collectum tantum prælatos et monasteria spectare. Imo dubium foret auxilium ex laïcis a rege sumptum esse, nisi manifesto appareret istud auxilium tertio decimo sæculo feodaliter perceptum adhuc esse in pari rerum discrimine; unde sequitur id priore sæculo jam exstitisse.

Quæ scripta feruntur de ecclesiasticis parum per se lucida; in his vulgo queruntur de tributorum magnitudine quibus onerantur ecclesiæ, morasque interponi flagitant; unde paucissima licet excerpere; duo tantum afferemus e brevissimis.

Episcopus Ambianensis, Theodoricus nomine, hæc Sugerio scribit :

« Obsecro, mi domine, dele me de libro tuo quem scripsisti. Siquidem scripsistis mihi super expeditione regia ad quam nullatenus sufficere valeo. Veritatem dico amico meo; non mentior; unde parcat mihi dominus meus. Etenim tam domini papæ quam domini regis servitium valde tenuem me fecerunt et in frixorio quotidiano me posuerunt. Valete et attendite[1]. »

Explicita magis est epistola quam Sugerio misit abbas monasterii Ferrariensis in Wastineto :

1. *Historiens de France*, XV, p. 497.

« De taxatione domini regis gravissime constrictus usque ad viginti libras, postquam a nobis reccessistis, prout potuimus, reddidimus. Reliquum vero ad præsens omnino habere, gravi paupertate exigente, non possumus, quia adhuc in messionibus et occupationibus suis detinentur. Unde reverentiam vestram humiliter deprecor quatinus mihi et præposito, qui hac de causa homines nostros minatur rapere, inducias et spatium idoneum, qua hoc possimus invenire concedatis[1]. »

Videtur vectigal, a monasterio exactum, ab hominibus abbatiæ solvendum fuisse, quum præpositus eorum bona proscripturum se dictitet; sed ista proscriptio forsan ea mente ostendebatur ut vim afferret abbatiæ; nec adeo verba sunt explanata, ut de re pronuntiari possit. Probabile est hanc exactionem, quam ægerrime clerici ferebant, ecclesiarum reditus decimam partem æquasse, ideoque serius huic taxationi *decimæ* nomen fuit impositum. Etenim anno MCLXXXVIII, cum tempus adesset in quo tollenda decima de qua posterius agitur, Petrus Blesensis ad clericos episcopi Carnotensis hæc scribebat :

« Sane, sicut audivimus, exiit edictum a Philippo rege ut describeretur gallicus orbis et oneraretur ecclesia decimationibus recidivis. Sic paulatim transibit decimatio in consuetudinem et

1. *Historiens de France*, XV, p. 497.

præsumpta semel abusio ignominiosam ecclesiæ servitutem infliget[1]. »

Hoc verbum « decimatio recidiva, in consuetudinem transiens » an significet parem antea summam ab ecclesiis exactam fuisse, scilicet anno MCLVII, id ut reor, ita non ausim affirmare.

Quidquid id est, anno MCXXXVIII, Philippus Augustus, ut subveniret impensis belli rursus in sacram terram inferendi, auxilium ubique collegit, quod decima saladina dictum est. Scriptum quo declaratur hæc regis voluntas majus momentum habet quam ut ex eo non referamus locos ad hoc auxilium pertinentes :

« Constitutum est a domino Philippo, Francorum rege, consilio archiepiscoporum, episcoporum et baronum terræ suæ, quod episcopi et prælati et clerici conventualium ecclesiarum et milites qui signum crucis assumpserunt, de debitis suis reddendis, quæ debebantur tam judæis quam christianis, antequam crucem rex assumpsisset, respectum habebant a proximo festo omnium sanctorum post diem motionis domini regis in duos annos.

. . . .

« His imprimis constitutum est de decimis, quod omnes illi crucem non habentes, quicumque sint, decimam ad minus dabunt hoc anno de omnibus mobilibus suis et de omnibus reditibus, exceptis

1. *Ibidem*, t. XIX, p. 272.

illis qui sunt Cisterciensis ordinis et ordinis Carthusiensis et ordinis Fontis Ebraldi et exceptis leprosis, quantum ad suum pertinet proprium.

« In nullas communias mittet aliquis manum nisi ille dominus cujus ipsa communia fuerit, quale tamen jus in aliqua communiarum habebat prius aliquis, tale habebit.

« Qui alicujus terræ magnam justitiam habet, idem terræ decimam habebit. Et sciendum quod qui decimas sunt daturi, de toto mobili suo et redditibus decimas dabunt, non exceptis inde prius debitis suis; immo post donationem decimæ de residuo poterunt sua debita solvere.

« Universi laïci tam milites quam alii, præstito juramento sub anathemate, clerici excommunicatione astricti suas dabunt decimas.

« Miles, crucem non habens, domino suo, crucem habenti, ei cujus erit homo ligius, dabit decimam de suo proprio nobili et feudo quem ab ipso tenebit; si autem ab eo nullum tenebit feudum, de suo decimo proprio mobili decimam domino suo ligio dabit; singulis vero a quibus tenebit, decimam de suis feudis dabit; et si nullum dominum ligium habebit, ei in cujus feudo manserit levans et cubans, dabit decimam de suo proprio mobili.

« Si quis terram suam decimans, res alterius quam illius quem debet decimare invenerit in terra sua, et ille cujus res fuerit illas esse suas

legitime monstrare poterit, decimans non possit eas retinere.

« Miles crucem habens, qui sit heres legitimus, filius vel gener militis crucem non habentis, vel alicujus viduæ, habebit decimam patris vel matris suæ.

« In res archiepiscoporum seu capitulorum seu ecclesiarum, quæ ab eis movent in capite, non mittet aliquis manum, nisi archiepiscopi, episcopi, capitula et ecclesiæ quæ ab eis movent. Episcopi colligent inde decimas et eas dabunt quibus dare debuerint.

« Quicumque crucem habens, qui dare talliam vel decimam debeat et eas dare noluerit, ab illo capiatur, cui suam debet talliam vel decimam ut inde suam faciat voluntatem. Qui eum ceperit, propter hoc non poterit excommunicari. Qui devote et legitime et sine coactione decimam suam dederit a Deo remunerationem accipiet[1]. »

Rigordus historicus a quo hujus legis formula nobis transmissa est, quomodo sit accepta nos docet verbis istis : « Anno domini MCLXXXVIII, mense martio, media quadragesima, Parisius celebratum est generale concilium a Philippo rege, convocatis omnibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus et totius regni baronibus, in quo innumerabilis turba militum seu peditum sacratissima

1. *OEuvres de Rigord*, éditées par M. Fr. Delaborde, pour la société de l'histoire de France, t. I, p. 85-90.

cruce signati sunt. Et propter hanc instantem necessitatem (oppido enim iter Hierosolymitanum rex affectabat) cum assensu cleri et populi quasdam decimas ab omnibus esse accipiendas eo tantum anno decrevit quæ dictæ sunt decimæ salahadini[1]. » Non ad verbum intelligi debent ista *cum assensu cleri et populi*, nec existimandum est a Philippo Augusto petitum esse quid annuerent clerici nullum gradum dignitatis adepti vel ignobiles homines; scriptores enim historici verbis parum perpensis sæpius utuntur. Rex sententiam tantummodo petivit et assensum prælatorum et baronum quos numero plures Parisiis in curiam adduxerat et ea constitutio facta est *de consilio archiepiscoporum, episcoporum et baronum* non secus ac cætera instituta quotquot eo tempore fiebant ex voluntate regis assensuque optimatum.

Ista decima nihil habet simile cum cæteris auxiliis feodalibus quæ supra examinata sunt. Omnes attingebat qui signo crucis se non instruxerant clericos aut milites non secus ac cæteros. Videtur aliquibus, etiam crucesignatis, potuisse vectigal imperari, nam in extrema clausula provisum est quid fiet si solvere recusabunt. Edicto quod ad annum MCCXIV pertinet, varii casus exponuntur, quibus intercidentibus fieri poterat ut crucesignati talliam solverent. Tributum anno MCLXXXVIII

1. *OEuvres de Rigord*, t. I, p. 84.

impositum decimam partem eradebat pretii quo bona mobilia et omnes annui reditus ejus in quem caderet æstimarentur. Denique rex optimatesque non hoc vectigal ipsi percipiebant in finibus suorum vassalorum, sed quicumque dominus capitalem justitiam exercebat id ipse in feodo suo colligebat. Contra quæ feodalia dicuntur auxilia in solos ignobiles cadebant et in diversis regionibus majora minorave censebantur. Non multum ista decima differt ab iis quæ exigebantur ab ecclesiis. Sed ita prorsus abhorrebat ab institutis feodalibus ut rex mox eam aboleverit isto decreto, de quo minime ambigi potest :

« Cum ad restitutionem Terræ Sanctæ, ecclesiasticorum et principum regni nostri assensu, rerum mobilium tam ab ecclesiasticis quam laïcis personis decimæ semel exactæ fuerint; ne ad consequentiam facti hujus enormitas traheretur, ecclesiasticorum et principum communi petitione, lege in perpetuum valitura statuimus, ne hujus exactionis occasione, vel ob eamdem vel ob consimilem causam, aliquid ullo modo exigatur. Cum enim devotio, remedium fidelibus ad salutem debeat transire animarum, visum est nobis Deum potius offendi quam placari si ex pauperum et viduarum lacrymis nec placabilis, nec accepta Deo, talis victima offeratur.

« Ut ergo nec nobis nec aliis tale quid liceat attentare, regia et publica omnium ecclesiarum et

principum regni auctoritate, statuimus ut præsenti lege a facti hujus ausu damnabili repellamur.

« Et, si ausu temerario a nobis vel ab alio fuerit attentatum, præcepimus irritari. Justum est enim a præsenti constitutione neminem excipi, cui regiam majestatem indulgemus supponi.

« Statuimus etiam ut rerum immobilium possessiones et dominia et proprietates seu feudorum seu advocationum et consuetudinum jura inviolabiliter maneant inconcussa. Et ne damnatæ exactionis occasio sibi, vel contra se, alicui præscriptionem pariat et ne quis ex ea vel augeri vel minui vel in aliquo se sentiat prægravari, volumus ut omnia in eo statu sint in quo erant quadraginta dies quando occurrere assumpsimus[1]. »

Anno MCCXXVI mense januario triginta prope barones Ludovico VIII, regi Franciæ, suase runt ut negotium terræ Albigensis sibi assumeret et promiserunt super fidem quam ei debebant fore ut eum juvarent bona fide sicut dominum suum ligium usque ad ipsius negotii consummationem vel quamdiu in eo negotio laboraret[2]. Nos autem fugit qua ratione regi barones opitulati sint. Episcopos oportuit simul militarem operam præstare quam debebant pro feodis et decimam solvere pro beneficiis suis ut manifestum est ex ea ab episcopo autissiodorensi scripta epistola :

1. *Ordonnances*, XI, 256.
2. Vaissette, *Histoire du Languedoc*, édition Molinier, t. VIII, col. 816.

« Noverint universi quod excellentissimus dominus noster Ludovicus, Francorum rex illustris, nostri debilitatem corporis attendens, pro exercitu suo et pro militibus quos ei debemus mittere ad exercitum suum apud Albigenses et pro decima quam similiter de proventibus nostrorum reddituum tenemur solvere eidem pro negotio Albigensi supradicto, quittavit nos simpliciter a quindena Paschæ proximo ventura usque ad annum pro sexcentis libris parisiensium[1]. »

Ergo ad hoc bellum rex a prælatis et ecclesiis tum decimam ob ecclesiastica beneficia debitam, tum quoque militiam cui propter feoda astricti erant exegerat. Cum autem istud bellum propriæ cujusdam esset naturæ et omnino insolitum videretur, rex providerat ut postularet a baronibus solemne promissum multo latius patens quam quo secundum consuetudinem obligabantur.

Collatæ rationes a ballivis anno MCCXLVIII ostendunt sanctum Ludovicum a communiis et bonis urbibus sui dominii amplissima dona recepisse « *pro auxilio viæ regis ad Jerusalem* » novamque decimam a prælatis et ecclesiis. Idem actum est cum iterum bello sacro rex se appararet anno MCCLXX. De his quæ in hac et in illa occasione convenerint inter regem et barones, communias bonasque urbes parum constat. Sed huic

1. Teulet, *Layettes du Trésor des chartes*, t. II, p. 73.

jacturæ remedium afferunt multa scripta amplissima quibus docemur quo modo Alphonsus, Pictavensis comes, frater regis, auxilium bello sacro collegerit in vastissima regione qua potiretur.

Jam inde ab anno MCCLXI Alphonsus cœperat pecuniam percipere posteriori bello apparando quod frater cogitabat suscipere adversus Sarracenos; multa ergo ad suos senescallos mandata misit, quorum locos qui maxime valent hic inserimus.

« Alphonsus.... senescallo Agennensi et Caturcensi.... Cum homines terræ nostræ prælati, capitula, religiosi, barones, milites et alii pro hominibus suis dare promiserint nobis focagium in subsidium Terræ Sanctæ nosque fecerimus computari focos totius terræ nostræ comitatus Tholosani, quorum summam penes nos habemus, et vos similiter penes vos, nobisque datum sit intelligi a pluribus fide dignis, quod homines de terra nostra plus nobis darent in summa de qualibet villa ex dono, quam haberemus levando focagium, et magis eis placeret, vobis mandamus quatinus in isto negocio procedatis tali modo. Sciatis in bonis villis, quantum nobis dare vellent in summa, et a prælatis, capitulis, religiosis, baronibus, militibus et aliis quantum in summa facerent nobis dari a suis hominibus sub nostro dominio existentibus et tunc scire poteritis, quæ via erit nobis

utilior, dona in summa recipere vel focagium levare[1]. »

« Alphonsus... senescallo Agennensi.... Mandamus vobis quatinus personnaliter accedatis ad dilectum et fidelem nostrum Sycardum Alemanni et ab eodem et aliis addiscatis, quantum quælibet villa de Agenno et Agenesio, de Tholosa et comitatu Tholosæ, de Ruthenensi et Albigensi promisit seu dedit bonæ memoriæ quondam comiti Tholosæ pro passagio transmarino. De quibus unum scriptum retineatis, Guillelmus et Salomon aliud, et unum nobis mittatis. Quibus receptis et diligenter inspectis, una cum eisdem Sycardo, Guillelmo et Salomone inspiciatis fideliter et prudenter, utrum summa promissa prædicto comiti Raimundo magis vel minus excederet quam focagium, si levaretur, sicut nobis fuit promissum, et utrum multum essemus dampnificati, si promissum levaremus, ut fuit promissa Raimundo quondam comiti Tholosæ, et utrum magis placeret hominibus terræ nostræ ista via de promissa levanda a bonis villis quam si focagium levaretur[2]. »

Paulo post Alphonsus misit has litteras ad barones prælatosque, orans ut sibi et senescallis suis in eorum terris focagium exacturis adessent.

« Cum homines terræ nostræ, prælati, capitula, religiosi, barones et milites et alii pro suis homi-

1. Vaissette, t. VIII. col. 1489.
2. *Ibidem*, col. 1491.

nibus dare promiserunt nobis focagium et vos similiter in subsidium Terræ Sanctæ, nosque senescallis nostris mandaverimus, ut levarent dictum focagium, vos requirimus et rogamus quatinus senescallo nostro Agennensi ad levandum dictum focagium ab hominibus terræ vestræ, cum vos requisierit super, hoc vestrum consilium et auxilium impendatis tantum super hoc facientes quod vobis propter hoc debeamus merito scire gratum [1].»

Ergo satis erat assensus baronum et dominorum, seu clerici seu laici essent, ut eorum homines cogerentur vel regi vel domino capitali expendere summam ab ipsis eorum dominis concessam. Dominus autem capitalis, rex, dux, comes barove, iis etiam in casibus in quibus ex consuetudine a vassalis legitimum auxilium ex suis hominibus percipiendum concedi oporteret, consulere suos vassalos primum debebat ut quantum foret ipsi statuerent. Ubi de summa a singulis villis exsolvenda convenerat inter dominum proximum et superiorem, hujus erat cum hominibus vassali negotiari, si quid amplius annumerare vellent.

In dominio suo rex vel dominus quilibet debebat cum singulis bonarum urbium suarum pacisci quo major ab eis pecunia extorqueretur. Documento quod senescallis suis misit Alphonsus

1. Vaissette, t. VIII, col. 1490.

discimus quibus modis hujus principis exactores rem istam administrarent. Senescallus debebat in unam comitatus urbem iter facere, præsertim in eam quam cogitaret comiti majorem opem esse præstituram. Ibi convocatis quibusdam burgensibus e numero meliorum, verbis amplificabat probum comitis regimen, cujus opera in pace diutissime vixissent, nihil præter annuos reditus ei solventes. Addiderat Alphonsus esse dicendum ex quo mare rursus trajecisset numeratas fuisse bis terque regi Franciæ pecuniæ summas ingentes, quæ auxilia Parisii vel aliæ bonæ urbes ex gratia detulissent; regem autem Navarræ, comitem Andegavensem, comitissam Flandriæ, ducem Burgundiæ, comitem Niverni, magna quoque de terris suis auxilia tulisse. Conclusurus erat hanc orationem senescallus asserendo comitem pro certo habere sui dominii hominum officium esse dare quæ promisissent et hoc modo se erga dominum habere unde gratiam ei referrent. Tunc oportebat eum curare ut de consilio horum virorum eligerentur decem aut duodecim homines idonei ad imponendum atque dividendum inter omnes urbis incolas auxilium et ad instruendos census qui senescallo traderentur.

Eadem ratione rex Franciæ utebatur quum bonæ urbes suæ auxilium ei darent.

In villis autem quæ baronum, militum, prælatorum, ecclesiarum aut religiosorum erant, eum-

dem agendi morem senescalli tenebant, sed, imprimis advocato domino villæ, ejus opem debebant sibi conciliare, qua freti possent ab hominibus ejus exigere summam quam ipse comiti pollicitus erat[1].

Quando focagium aliquod exigebatur, summa pecuniæ exsolvendæ in unaquaque bonarum urbium, in feodis vassalorum comitis vel regis sitarum, definiebatur tum ipso numero focorum quos fama erat in urbe contineri, tum etiam ipsa summa quam domini concesserant e singulo foco tollendam. Non tamen singulis focis domibusve par tributum imponebatur, nullo habito possidentium, seu divites seu pauperes essent, discrimine. Summam ex urbe percipiendam selecti quidam viri distribuebant in partes, quarum unam pro portione facultatum quisque civis exsolveret. Hujus divisionis index comiti dabatur, quænam essent urbis opes inde cognituro. Ne rerum suarum status evulgaretur, malebant urbes summam aliquam de qua convenerat expendere, vel majorem ea quam focagium peperisset, eamque a suis civibus exigere, in talliæ modum, proprio damno et periculo. Reges et domini rem libenter eo more tractabant, unde majora lucrarentur. Alphonsus etiam senescallos suos admonuerat ut omnibus modis quibus possent eniterentur ad hanc rationem subditos com-

1. Vaissette, t. VIII, col. 1493 et 94.

pellere. Summæ quibus numeratis urbes a focagio redimebantur « dona » vocabantur et, quum quæ debita erant exsuperarent, ne posterius illud exemplum sibi detrimento esset neve in simili rerum occursu par auxilium exigeretur, urbes sibi dari postulabant litteras affirmantes id ex gratia factum, nec adversus ipsas olim evocari posse, nec in posterum ipsis incommodo fore.

Tolosæ quæ ei sex millia librarum auxilii vel doni nomine concesserat, dedit Alphonsus has litteras :

« Cum dilecti et fideles nostri consules et communitas urbis et suburbii Tholosæ, ex mera liberalitate et dono gratuito, subventionem gratiosam nobis fecerint usque ad summam sex millium librarum Turonensium, de quibus tenemus nos plenarie pro pagatis, nos subventionem hujusmodi profitemur ab eisdem gratis et liberaliter nobis factam, nec volumus seu intendimus, nomine focagii vel promissionis ab eis nobis factæ super eodem vel cujuscunque alterius servitutis, nunc vel in posterum, occasione dictæ subventionis spontanea voluntate ab eisdem factæ, ipsis prejudicium generari[1]. »

In senescalciis Bellicadri et Carcassonæ eamdem agendi viam rex secutus est quam frater tenuerat. Quod testantur istæ litteræ :

« Ludovicus, Dei gratia Francorum rex, dilecti

1. Vaissette, t. VIII, col. 1562.

suis consulibus et universitati civitatis et burgi Narbonæ, salutem et dilectionem. Noveritis quod oblationem M librarum Turonensium nobis seu genti nostræ, scilicet Arnulfo de Curiaferrandi, militi, et magistro Raimundo Marci, clerico nostro, a vobis nomine nostro factam, pro subsidio nostri passagii transmarini, plurimum gratam habentes, intelligimus gratis factam et ex mera liberalitate vestra, absque omni prejudicio juris et libertatis vestræ, nec ex hoc intendimus novam inducere consuetudinem nec etiam vos propter hoc ad similem præstationem in posterum obligari [1]. »

In Pictavia Alphonsus Joannem de Nantholio, militem, Johannem de Villetta, militem, senescallum Xantonensem, Eustachium de Bello Marchesio, militem, Pictavensem senescallum, requirere jussit a singulis baronibus, militibus, cæterisque nobilibus comitatus Pictaviæ ut unusquisque secundum facultates suorum hominum auxilium comiti præstarent « pro subsidio Terræ Sanctæ ». Conquisitores ne tempus tererent, ut reor, omnes senescalliæ dominos eodem die Pictaviis congregaverunt. Barones autem nullum responsum edidere, quod rem statim decerneret; dixerunt se ituros ad comitem eique concessuros quod bonum sufficiensque videretur. Hanc eludendi propositi rationem Alphonsus ægro animo tulit; annum tamen inter-

1. Vaissette, t. VIII, col. 1671.

misit, donec iratus quod nihil a Pictavensibus vassalis suis accepisset, Joanni de Nantholio talia mandaret :

« Tam per ea quæ nobis scripsistis quam ex littera vestra nuperrime nobis missa, perpendimus usitatum esse in Pictavia, quod nobiles comitatus Pictavensis debeant præstare auxilium pro subsidio Terræ Sanctæ. Cujusmodi usu supposito, vobis mandamus quatinus una cum senescallis nostris Xantoniæ et Pictaviæ nobiles senescalliæ suæ ex parte nostra cum instancia requiratis, ut pro dictæ terre subsidio præstent nobis auxilium opportunum, præfigentes nichilominus eisdem terminum competentem infra quem de prædicto auxilio satisfaciant, prout decet; intimantes eisdem quod nisi hoc fecerint, nos, elapso termino, auxilium hujus modi levare ulterius nullatenus differemus[1]. »

Bonæ urbes diutius reluctatæ sunt. Pictavorum urbs parvam pecuniæ summam concessit, a comite tamen acceptam. Mille autem libras oblatas a burgensibus Sancti Joannis de Angeliaco Alphonsus aspernatus est, parvum id esse prædicans subsidium et minime sufficiens. Senescallo Xantonens scripsit hujus urbis cives admonendos esse minimam sic referri gratiam bono comiti qui sexdecim abhinc annis nihil ab eis postulasset; jubebatur præsertim eorum oculis exemplum subjicere bona-

1. Boutaric, *Saint Louis et Alphonse de Poitiers*, 285

rum urbium quæ maxima subsidia Franciæ regi contulissent. Credendum est ipsum comitem tam leniter dictis parum confidere. Jubebat enim senescallum burgenses dehortari ne ipsum adirent utpote qui aurem eis præbere nollet. Quinetiam addiderat si justum cives auxilium sibi denegarent, omnia jura, quibus posset adversus eos uti et in re præsenti et in aliis esse in posterum retinenda.

Ut reluctantes urbes edomaret, omnes rationes Alphonsus adhibebat, etiam territans et minatus se res repetiturum pro omnibus offensis quas ab aliquo tempore ab eis perpessus esset. Hoc pacto Riomi cives coëgit promissum auxilium sibi numerare :

« Cum, sicut nobis relatum exstitit, super requisitionibus quas dilecti et fideles clerici nostri, magistri Guillelmus de Ruppe et Eustachius de Mesiaco, ex parte nostra, fecisse dicuntur super impendendo nobis auxilio pro subsidio Terræ Sanctæ, ab hominibus villarum nostrarum, quæ in Alvernia sub nostro consistunt dominio, iidem homines, licet pluries requisiti, ut decuit, nullam aut modicam subventionem nobis spoponderint se facturos; super quo nimirum plurimum admiramur, quia versum sit in usum et consuetudinem approbatam, quod subditi dominis suis temporalibus, qui crucis transmarinæ sunt caractere insigniti, grata impendunt subsidia, non solum in pecunia sed nonnunquam etiam in personis ; vobis mandamus quod homines dictarum villarum nostrarum, de villis singulis sigillatim, ite-

rum requiratis ut talem nobis studeant subventionis gratiam impertiri, quo de ipsis nos debeamus tenere merito pro pacatis. Eorum vero jam facta responsio minime nobis grata est vel accepta, præsertim quantum ad homines nostros de Riomo, qui cum longo tempore quiete et pacifice vixerint sub nostro regimine, nec per nos extorta sit pecunia ab eisdem, amplis ditati facultatibus non attendunt quantum a fidelibus subditis non exactori principi debeatur. Illud etiam eisdem ex parte nostra ostendere vos obmissuros nolumus qualiter dudum de quatuor millibus libris Turonensium nobis dandis promissionem fecerint vel aliis nostro nomine, pro subsidio Terræ Sanctæ; ad quod si ex causa transfretare distulimus, cum nunc instet transfretandi terminus præfixus et juratus a nobis et ab aliis crucesignatis baronibus, ut plerisque solutio dictæ pecuniæ nundum facta fuerit, tamen propter dilationem hujusmodi data promissio minime exspiravit. Ceterum cum, sicut nobis subjectum est, in villa Riomi habitantes utuntur privatis legibus, consuetudinibus et statutis, a nobis vel a nostris predecessoribus minime confirmatis, nec etiam approbatis, quorum quædam in nostrum et nostri dominii prejudicium non mediocriter redundarent, si postquam ad nostram notitiam pervenerit de eisdem talibus consuetudinibus sed verius corruptelis uti in posterum sub quadam convenientia contigerit tolerari, requiratis attentius

eosdem homines dictæ villæ Riomi sub eisdem quibus nobis tenentur juramento et fidelitate, ne ulterius consuetudinibus seu usibus prædictis minus legitimis uti attemptent, nisi demum de nostra speciali processerit voluntate, super iis et aliis gravaminibus et injuriis, pro quibus vel eorum consimilibus aliquibus emenda nobis dignoscitur facienda, tam erga prædictos homines quam circa alios qui pari modo sunt nobis obnoxii, taliter vos habentes quod jus nostrum in nullo valeat deperire, ut quos preces non emolliunt saltem sollicitet rigor judiciariæ potestatis, quia non est de facili ingratis gratia conferenda[1]. »

In Pictavia, sicut in Alvernia, quædam urbes aut nihil aut derisoria pollicitæ sunt. Tunc Alphonsus, cui ex consuetudine id licitum erat, ab eis quicumque a se terras ad censum tenebant, duplicem censum exegit pro eo auxilio quod denegabant. Cum ergo ignobiles homines domino suo quod placeret auxilium tribuere nollent, poterat ille vel parem vel duplicem ejus qua quotannis censebantur summam sibi vindicare. Gravissimum sane miseris onus, quod Niorti talem concitavit rumorem in plebe ut Alphonsus exactores suos ad mansuetudinem et prudentiam sit hortatus.

« Ex serie litterarum inquisitorum intelleximus, quod inter populares præsertim in villa nostra de

1. Boutaric, *Saint Louis et Alphonse de Poitiers*, 290.

Niorto, murmur non modicum et tumultuosa querimonia invaluit occasione duplicati census, qui exigitur ab eisdem, non tam ob ipsam census duplicationem quam propter gravem et austerum modum in colligendo adhibitum nec non injuriosum si, ut fertur, pignora nonnisi aurea et argentea hi qui dictum censum colligunt velint aliquatinus acceptare. Quocirca vobis mandamus quatinus in collectione census hujus modi tales curetis proponere qui modum servent debitum nec in colligendo aliqua inferant gravamina his a quibus census fuerit exigendus[1]. »

Alphonsus tamen in alia quadam epistola ad inquisitores asserit de jure suo minime esse dubitandum.

« Terræ Sanctæ attento necessitatis articulo, fulti insuper prætextu consuetudinis approbatæ ususque, cujus non est vilis auctoritas, mandavisse meminimus censum colligi duplicatum, prius facta nobis sæpius relatione quod, secundum usum patriæ tanquam crucesignati, id facere poterimus, sicut alii barones crucesignati super homines suos hoc utuntur et nemini credimus facere injuriam, dum utimur jure nostro. Et si judicium super his petierint, illud per senescallum nostrum mandavimus sibi reddi[2]. »

In summa comiti necesse primum fuerat a vassa-

1. Boutaric, *Saint Louis et Alphonse de Poitiers*, 281.
2. *Ibidem*, 282.

lis suis postulare ut sibi liceret auxilium percipere ex hominibus intra fines eorum viventibus. Quo concesso, suos exactores miserat in singulas villas petituros ab hominibus vassalorum num vellent certam summam rependere pro focagio quod comiti domini eorum donaverant et tabulam divisionis apparare. Domini officium erat adjuvare comitis exactores ut auxilium ab illo concessum colligerent. Si forsan accideret ut vassali comiti auxilium denegarent, id ei licebat per se ipsum exigere in terra vassalorum, ipsis invitis, nec dubium est eumdem tunc potuisse ab hominibus eorum duplum exigere censum hujus quem domino proprio quotannis pendebant.

Comes auxilium reposcere debebat a communiis et bonis urbibus quæ immediatæ suæ ditionis erant. In abnuentes aut justo minus aliquid offerentes minis utebatur ; reluctantesque duplici censu onerabat.

De hominibus qui bonas urbes communiasve non incolebant sed vivebant in terris quarum regimen, nullo interposito, obtinebat, comiti licebat æqua tollere auxilia, quorum summa quanta foret ipse decreverat. Ejus tamen conquisitores debebant incolas cujusque villæ convocare, eos docere quanti censerentur, et ab iisdem postulare quinam eorum eligerentur qui inter eos summam secundum cujusque facultates dividerent et partem cuique assignatam colligerent. Tum sane infelices reclamare

dolentes ob gravius requisiti auxilii onus et dominum exorare, regemve aut comitem, ut sui misereretur. Interdum etiam recusabant hanc perferre vim et summam partiri in singulos. Tum durius agebat in eos dominus, quosdam in vincula conjiciebat, donec ceteri jussa explevissent, vel duplicem censum extorquebat.

Revera exceptis bonarum urbium et communiarum burgensibus, homines cuncti qui vectigal solvebant, nequaquam illud concedere rogabantur, suorum autem dominorum concessione obligabantur; ut maxime, poterant disputando id assequi ut possent imperatam summam facilius solvere.

CAPUT. IV

Non ea tantum auxilia quæ memoravimus, scilicet pro militia filii primogeniti, pro filiæ maritagio, pro redemptione et pro via ad Jerusalem, rex tollere poterat ex hominibus vassalorum suorum; sola saltem erant quæ ex consuetudine pro ratis et necessariis haberentur. Non ea poterant vassali dominis suis denegare neque consulebantur nisi ad disceptandum quanti forent et summæ definitæ assentiendum. Alioquin auxilia non protinus erant necessario solvenda poteratque vassalus ea domino roganti denegare. Quæ sit regni consuetudo generalis manifestum est ex conventione inter regem et episcopum parisiensem anno MCCXXII facta e qua jam retulimus ea quæ sequuntur :

« Habet si quidem dominus rex et successores sui in Burgo Sancti Germani, in Cultura Episcopi et in clauso Brunelli exercitum et equitationem, vel talliam propter hoc factam et guetum sicut in communi ville Parisiensis, et habet super homines illius burgi et Culturæ Episcopi et Clausi Brunelli talliam, quoties filios suos faciet milites novos et

quando filias suas maritabit et etiam si redimeretur de captione proprii corporis sui facta in guerra et eodem modo habebunt talliam successores sui super homines prædictos. Propter alias autem causas non possunt a domino rege vel successoribus suis talliari dictorum locorum homines sine assensu episcopi[1]. »

Anno MCCXXIX comitissa Campaniæ fidem dedit fore ut regi Philippo Augusto solveret mille et quingentas libras turonensium ea lege ut rex vicissim juvenem comitem Theobaldum per quatuor annos haberet in custodia. Ut amplissimam istam summam argenti colligeret, comitissa postulavit a vassalis suis et bonis urbibus ut gratiosum auxilium sibi præstarent ideoque urbi Latiniaco dedit has litteras :

« Ego Blancha, comitissa Trecensis, palatina, notum facio tam præsentibus quam futuris, quod, cum a burgensibus Latiniaci peterem auxilium pro Theobaldo, filio meo, dederunt mihi pro auxilio illo mille libras, salvis sibi libertatibus et consuetudinibus suis, et salvo similiter mihi et successoribus meis, comitibus Campaniæ, jure nostro et salvis consuetudinibus nostris[2]. »

Anno MCCLVIII Ludovicus IX fecit maximam colligi pecuniam ut absolveret fidem promissi quod fecerat Angliæ regi, cum fœdus iceret Abbatisvillæ,

1. Teulet, *Layettes du Trésor des chartes*, t. I, p. 554.
2. Brussel, *Usage des fiefs*, I, 415.

propter quod a bonis urbibus regni nec non ab eis quæ non obsequii proximo vinculo sibi hærerent auxilium accepit. Prius tamen poposcerat et impetraverat assensum dominorum, quibus erant subditæ et quorum jura litteris patentibus istis recognovit :

« Ludovicus..... universis salutem. Dilectus et fidelis noster Th. Remensis episcopus, ad instantiam nostram, voluit et nobis concessit, ut burgenses remenses rogaremus ut subsidium nobis facere velint; nos autem ejusdem archiepiscopi jus conservari volentes illæsum, nolumus ut istud factum trahatur in consequentiam vel quod per hujusmodi preces nostras de assensu prædicti archiepiscopi eisdem burgensibus factas, præfato archiepiscopo aut suis successoribus in posterum aliquod prejudicium generetur[1]. »

Auxilia gratiosa rex percipiebat imprimis *pro guerra sua manutenda* et toties id factum est ut res in usum verteretur vectigalque regale inde ortum sit.

In prima ætate feodalitatis rex et barones nullum auxilium tollebant exercitus causa, quippe quo non indigerent. In fine duodecimi sæculi Franciam inter et Angliam orta contentio, bella perpetua quæ genuit, regiæque ditionis incrementa reges Franciæ coëgerunt ut stipendio donarent exercitus

1. Varin, *Archives administratives de Reims*, I, 782.

nec sine magnis impensis arma posthac movere potuerunt. His Philippus Augustus sæpissime suffecit largiendo reditus quos ex suo dominio amplissime dilatato percipiebat, vel mulctas quas vassali nobiles justum tempus militiæ detrectantes rependere ea de causa cogebantur, vel auxilia quæ communiæ, bonæ urbes et ecclesiæ solvebant ut levarentur necessitate mittendi sub signa servientes suos eo numero quo deberent. Interdum tamen evenit ut reditus illi impares essent huic impendio. Tum rex conversus ad vassalos orabat ut sibi liceret auxilium sumere ex hominibus eorum. Quæ consuetudo ita invaluerat ut anno MCXC in Terram Sanctam abiturus rex talia, ne quid iniquum fieret, præscripserit :

« Prohibemus etiam universis prælatis ecclesiarum et hominibus nostris, ne talliam vel toltam donent, quamdiu in servitio Dei erimus.

« Si vero dominus Deus de nobis suam faceret voluntatem et nos mori contingeret, prohibemus districtissime omnibus hominibus terræ nostræ tam clericis quam laicis, ne talliam vel toltam donent, donec filius noster, quem Deus servitio suo sanum et incolumem conservare dignetur, veniat ad ætatem in qua gratia Sancti Spiritus possit regere regnum.

« Si autem aliquis filio nostro vellet movere guerram et redditus sui quos habet non sufficerent, tunc omnes homines nostri adjuvent eum de cor-

poribus et averis et ecclesiæ tale faciant ei auxilium quale solitæ sunt facere nobis[1]. »

De verbo *donent* gravis orta est contentio. Non tamen dubium videtur quin significet idem ac consentire, concedere. Philippus Augustus edicto vetat ne prælati vassalive sui concedant iis, qui regno interim præponentur, talliam ex hominibus suis sumendam, quamdiu in Terra Sancta remanebit aut, si forte vita decedet, priusquam filius adoleverit. Argumento sunt in hoc statuto donare talliam vel toltam idem esse atque concedere talliam jussa quæ in calce inseruntur. Rex enim jubet, si filio bellum sit suscipiendum, omnes vassalos suos eum adjuvare corpore et pecunia ecclesiasque consuetum auxilium ei præstare.

Minime ergo dubium est, accidente bello, regem, ob redituum suorum inopiam, homines et ecclesias rogasse ut sibi darent auxilia, de quibus vero perpauca novimus. Anno MCLXXXV a Philippo-Augusto statutum est posse Laudunensem episcopum ex hominibus suis « in Laudunesio habitantibus » percipere tallias « pro exercitus regii servitio, pro domino Papa, pro guerra Laudunensis ecclesiæ manifesta[2] ». Regi anno MCCXIX episcopus Aurelianensis hæc scribebat : « Audivimus quod suggestum est vobis quod nos inhibueramus quibusdam hominibus monachorum de abbatia Pithi-

1. *OEuvres de Rigord*, t. I, p. 103.
2. Brussel, *Usage des fiefs*, t. II, p. 764.

veri ne solverent talliam servientium pro exercitu vestro quam soletis habere[1]. » Dictum est supra regem habuisse Parisiis anno MCCXXVI « exercitum equitationemve vel talliam propter hoc factam. » Verisimile est auxilium antea jam anno MCXC ab ecclesiis ex consuetudine regi collatum nihil aliud fuisse nisi summam pecuniæ qua numerata forent immunes a mittendis servientibus et ministrandis quæ deberentur vecturis. Hanc opinionem confirmat ea quam anno MCCLXXV curia regis tulit notabilis sane sententia :

« Cum dominus rex peteret ab abbate et conventu de Ferrariis centum servientes, duas quadrigas et unum summarium, in quibus dicti abbas et conventus eidem tenebantur ratione exercitus pro villa sua de Ferrariis et ejus pertinentiis, prout in registris domini regis continetur, abbas et conventus prædicti dicebant contra homines dictæ villæ, quod ipsi debebant prædictum exercitum accipere super homines suos, *cum sit consuetudo generalis in Francia, quod ecclesiæ Franciæ quæ debent exercitum domino regi illum accipiunt et recuperant super homines suos.*

« Dictis hominibus de Ferrariis contrarium asserentibus . . . .

. . . .

« Judicatum est per judicium curiæ nostræ,

1. Teulet, *Layettes du Trésor des chartes*, t. I, p. 493.

quod dicti abbas et conventus solverent domino regi exercitum in registro contentum et quod illum capient seu recuperabunt per manum suam super homines de Ferrariis et alios suos homines, qui ad hoc tenebuntur, salvo dicto summario, quod dicti abbas et conventus solvent de suo proprio, et quod prædicti homines, super quos dicti abbas et conventus capient dictum exercitum, solvere regi alium exercitum minime tenebuntur[1]. »

Ideo certum est tertio decimo sæculo homines terras ecclesiarum incolentes auxilium solvisse pro impensis quas exercitu convocato tolerabant eorum domini, sive ecclesiæ mitterent exercitui servientes et vehicula quæ debebant, seu mallent regi summam dare parem ei quam impendissent aut etiam paulo majorem. Eadem officia militaria communiæ præstare debebant. Illas quoque oportebat servientium et vehiculorum quamdam copiam exercitui commodare. Sæpe potius ex illis pecuniam habere regi visum. Quod testantur rationes Philippi-Augusti et indices tabulæ quæ tunc temporis perscriptæ sunt. Cæterum edictum de cruce-signatis anno MCCXIV latum id confirmat certis argumentis.

« Noveritis quod nos, per dilectos et fideles P. parisiensem et G. silvanectensem episcopos, ex assensu domini legati, fecimus diligenter inquiri, qualiter sancta ecclesia consuevit defendere cruce-

1. Delisle, *Restitution d'un volume des Olim*, dans *Inventaire des actes du Parlement de Paris*, par Boutaric, tome I, p. 396.

signatos et ipsorum cruce-signatorum libertates, qui, facta inquisitione, pro bono pacis inter regnum et sacerdotium usque ad instans concilium romanum ista voluerunt observari.

« Quia vero constat de consuetudine hactenus observata in regno Franciæ, quod cruce-signati debeant exercitum, nisi per speciale privilegium domini regis sint exempti, dicimus quod in exercitum quilibet cruce-signatus de supradictis ire tenetur, sive ante citationem sive post cruce-signetur, si tamen debeat exercitum.

« Et si rex viderit expedire quod villa mittat in exercitum servientes potius quam qui sunt de villa vadant, poterit rex accipere pro exercitu de cruce-signatis competenter, sed habebunt de cætero electionem cruce-signati eundi in exercitum, si voluerint, vel ponendi portionem suam in prisia pro redemptione exercitus facta. Et si gravati fuerint de prisia ad diocesanum episcopum vel ejus officialem habebunt recursum.

. . . .

« De cruce-signatis in communiis dicimus, quod si a communia aliquid accipiatur propter exercitum regis vel clausuram villæ vel defensionem villæ ab inimicis obsessæ vel communiæ debitum factum et juratum reddi, antequam crucem assumerent, partem suam ponent in prisia, sicut et alii non cruce-signati.

. . . .

« Quod si dominus rex alicui burgo vel civitati vel castello concesserit immunitatem exercitus, si petat rex aliquid de eis pro exercitu, cruce-signati primo anno nichil ponent.

« Ista pro bono pacis per totum domanium domini regis, de cruce-signatis, pro terra Ierosolymitana, usque ad concilium volumus observari, salvis jure et consuetudinibus sanctæ ecclesiæ et auctoritate sacro-sanctæ romanæ ecclesiæ per omnia salva[1]. »

In dominio regali homines ignobiles in villis, castellis, burgis aut civitatibus, vel in communiis manentes debebant ad exercitum ire, aut in locum suum servientes substituere et eis suppeditare quibus egerent, aut ratam regi summam numerare. Idem dicendum est de paris conditionis hominibus terras ecclesiarum incolentibus. Ignobiles quoque manentes in feodis quæ regi immediate subditi vassali tenebant, ad eosdem usus exsequendos erant adacti. Soli nobiles in persona servire debebant et ab illis pecuniam exigere regi non licitum. Hoc jam anno MCV rex Angliæ, Henricus I, profitebatur in charta qua subditorum suorum confirmata erant privilegia.

« Militibus, qui per loricas terras suas deserviunt, terram dominicam carrucarum suarum quietam et ab omnibus geldis et ab omni proprio dono

1. *Ordonnances*, I, 32.

meo concedo ut sicut benignitas mea propensior est in eis, ita mihi fideles sint. Et, sicut a tam magno gravamine alienati sunt, in equis et armis bene se instruant, ut apti et parati sint ad servicium meum et ad defensionem regni mei[1]. »

In Anglia tamen, fine jam propiore duodecimi sæculi, de consuetudine parum constabat. Nesciebant utrum dominis liceret necne tollere ex suis hominibus auxilium pro guerra sua. Loco supra jam citato Glenville ait : « Utrum vero ad guerram suam manutenendam possint domini hujus modi auxilia exigere quæro. Obtinet autem quod non possunt ad id tenentes distringere de jure, nisi quatenus facere velint. » Quodcumque est, non cogi poterant vassali ut hujus modi auxilium domino præstarent nec ille sumere poterat nisi vassalorum assensu. Gratiosum erat istud auxilium. Attamen eo tempore jam venerat in usum et apparet Angliæ nobiles maluisse auxilium solvere quam militiam exercere. In *Dialogo de Scacario* leguntur hæc : « Fit interdum, ut imminente vel insurgente in regnum hostium machinatione decernat rex de singulis feodis militum summam aliquam solvi, marcam scilicet vel libram unam, unde militibus stipendia vel donativa succedant. Mavult enim princeps stipendiarios quam domesticos bellicis opponere casibus. Hæc itaque summa quia nomine scutorum

1. Teulet, *Layettes du Trésor des chartes*, I, 35.

solvitur scutagium nuncupatur[1]. » Auctor autem illius opusculi omisit nos docere an scutagium illud potuerit absque assensu militum tolli.

Anno MCCXV in magna charta Angliæ rex vassalorum jura sancivit his verbis :

« Nullum scutagium vel auxilium ponatur in regno nostro nisi per commune consilium regni nostri, nisi ad corpus nostrum redimendum et primogenitum filium nostrum militem faciendum et ad filiam nostram primogenitam semel maritandam et ad hæc non fiat nisi rationabile.

. . . .

« Et ad habendum commune consilium regni de auxilio assidendo aliter quam in tribus casibus prædictis vel de scutagio assidendo, summoneri faciemus archiepiscopos, episcopos, abbates, comites et majores barones sigillatim per litteras nostras; et præterea faciemus summoneri in generali, per vicecomites et baillivos nostros, omnes illos qui de nobis tenent in capite, ad certum diem, scilicet ad terminum quadraginta dierum ad minus, et ad certum locum; et in omnibus litteris illius summonitionis causam exprimemus; et, sic facta summonitione, negotium ad diem assignatum procedat secundum consilium illorum qui præsentes fuerint, quamvis non omnes summoniti venerint[2]. »

Rex Angliæ quæ statuta erant feodorum consue-

1. Stubbs, *Select Charters*, p. 201.
2. *Ibidem*, 298.

tudine accuratissime in hac carta servaverat; vassalos omnes præcipuos et quicumque unum feodum immediate tenebat a rege concessum rogabat quid sentirent et quid annuerent; sed potius quam ageret cum singulis, gallico more, convocabat omnes ad commune regni consilium cujus scita valerent in omnes. Hoc modo congregati regis vassali auxilium concedebant nomine suo et suorum hominum qui quidem omnia solvebant consilii non participes. Id dubio procul fit innumeris scriptis et præsertim hoc mandato quod anno MCCXXXVII fuit editum.

« Rex vice-comiti Kantiæ salutem. Scias quod cum in octavis sancti Hilarii anno regni nostri vicesimo primo, ad mandatum nostrum convenirent apud Westmonasterium archiepiscopi, episcopi, abbates, priores, comites et barones totius regni nostri et tractatum haberent nobiscum de statu nostro et regni nostri, iidem archiepiscopi, episcopi, abbates, priores et clerici terras habentes, quæ ad ecclesias suas non pertinent, comites, barones, milites et liberi homines, pro se et suis villanis, nobis concesserunt in auxilium tricesimam partem omnium mobilium suorum apparentium sicut ea habebunt, etc[1]. »

Mos vetus in Francia diu permansit. In terris quæ in manu regis immediate erant, in commu-

1. Stubbs, *Select Charters*, 366.

niis, in ecclesiarum, forsitan etiam in vassalorum nobilium feodis auxilia percipiebantur ex burgensibus ignobilibusque hominibus *pro exercitu regio, vel pro tallia servientium domini regis*. Semper autem crevit in exercitibus regiis numerus copiarum mercede conductarum, et in altera parte tertii decimi sæculi videtur etiam invaluisse usus stipendii a rege persolvendi vel militibus qui belli ministeria ex consuetudine deberent. Sic bella materiam immensam præbuere impensis, quibus auxilia collata ob talliam servientium regis et tributa percepta ex nobilibus in vicem militaris operæ minime suffecerunt. Ideo Philippus IV conatus est in Franciæ regno genus auxilii instituere quod tunc exigebatur in Anglia *in subsidium guerræ regis* vel ut alias *pro defensione regni*.

Anno MCCXCII Franciæ rex, timens ne sibi bellum gerendum esset adversus imperatorem Germaniæ regemque Angliæ, potiusquam ignobiles habitantes in feodis quæ tenebat in manu sua vel ecclesias, communias bonasque urbes auxilium pro servientibus in exercitu rogaret ut sibi præstarent, tolli decrevit *exactionem quamdam in regno Franciæ non auditam atque malam toltam nominatam*. Hæc erat vectigal indictum in venumdatis mercibus. Emptorem et venditorem oportebat utrinque unum denarium pro libra de pretio emptæ rei solvere. Rex primo jusserat id toto regno fieri; sed cum factum esset contra jus procerum qui tali tributo

statuendo non assenserant et acerrime reclamantes obviam ibant « *concessum fuit baronibus quod non levaretur dictus denarius in suis terris* ». Quædam bonæ urbes donum pecuniæ sæpe immensum regi obtulerunt ne *mala tolta* intra mænia sua perciperetur. Remi decem millia librarum, Parisii centum millia dederunt « in recompensationem denarii, quem unum videlicet ab emptore et alium a venditore rerum venditarum in urbe de qualibet libra habere rex volebat ». Cum tale vectigal instituerat toto regno, sine vassalorum assensu, rex consuetudinem abrogabat et excedebat suo jure. Illi sane in animo erat comparare facultatem tributa colligendi in terris vassalorum suorum, non quæsito prius singulorum assensu, quemadmodum sibi vindicaverat jus ibidem exsequendi leges vel de consilio prælatorum et baronum latas vel in curia regis aut in parlamento sancitas. Quibus videlicet usurpandis prætendebat hæc effata nuper a Ph. de Bellomanerio inter regales jurisconsultos eminentissimo : « tempore belli et imminente bello regem, principes, barones ceterosque dominos decet agere multa quæ, si fierent in pace injuriam afferrent subditis, sed necessitate excusantur. Qua de causa regi licet nova stabilimenta facere ob communem regni utilitatem[1]. »

1. « Mais el tans de guerre et el tans con se doute de guerre, il convient fere as rois, as princes, as barons et as autres seigneurs, moult de cozes que, s'il les fesoient en tans de pès, il feroient tort à lors sougés ; mais li tans de guerre les escuse. » Beaumanoir, t. II, p. 260.

Anno MCCXCV Philippus IV per totum regnum centesimam partem prælibavit de pretio bonorum quæcumque possidebant ignobiles idque tributum percepit in finibus magnorum vassalorum, his annuentibus, quod testatur hæc epistola data duci Burgundiæ anno supradicto :

« Notum facimus tam præsentibus quam futuris quod *pro defensione generali regni nostri* de consensu dilecti et fidelis nostri Roberti, ducis Burgundiæ, quantitatem equipolentem centesimæ bonorum omnium ad personas ecclesiasticas et religiosas nec non alias quascumque spectantium, militibus et armigeris duntaxat exceptis, recepimus ex ducatu Burgundiæ, comitatu Cabilonensi, terra de Sinemuro en Briennois (sic) et de terra Borbonii Ligerensis et generaliter de feudis quibuscumque dicti ducis atque guardis, ubicumque existant, cujus quantitatis partem dimidiam volumus penes ipsum ducem pro se et suis in perpetuum remanere. Nolumus quod pro hoc ipsi duci in juribus ac prærogativis suis, patriæ suæ, baroniæ, subjectorumque suorum prejudicium generetur; imo volumus quod jura et prærogativæ predictæ in omnibus, sicut ante consuerunt, sint illesæ[1]. »

In ejusdem anni fine rex exegit auxilium pro defensione regni priore duplum edictumque tenemus quo constituitur ista quinquagesima. In

1. D. Plancher, *Histoire de Bourgogne*, t. I, p. CXI.

registro, ubi consignatum est, eo titulo notatur : « Hæc est ordinatio, vocata quinquagesima, quæ levari debet per regnum Franciæ *pro defensione regni* et ad cohibendum inimicorum perversiam qui nituntur multipliciter ad depredandum regni divitias et ad subjuguandum terram et personas dicti regni et in servitutem ponendi et detinendi : quæ ordinatio extitit tractata et ordinata, cum consilio baronum et prælatorum qui pro ista ordinatione facienda vocati et præsentes fuerunt in generali convocatione. » In mandato quo hoc stabilimentum senescallo Bellicadri missum fuit rex talia scripserat : « Cum nuper pluribus prælatis, baronibus et fidelibus regni nostri super arduis negociis ipsius regni statum tangentibus, evocatis præsentibus et quæ incumbebant diligenter expositis, tractatibusque et collationibus congruis præhabitis, tandem ad reprimendos et comprimendos inimicorum nostrorum et regni præsumptuosos insultus intendentium, prout eorum impugnationes et machinationes in diversis partibus attemptatæ prætendunt, regni ejusdem incolas, strage, spoliis, servitute ac diversis affligere incommodis, provida deliberatione consilii ordinatum fuit et statutum[1]. »

Vectigalia quæ Philippus exigebat pro defensione regni multum distabant ab auxiliis quæ dicebantur de quatuor casibus. Horum enim mensuram inter

1. *Ordonnances*, t. XII, p. 233

se libere agendo definiebant hinc singuli domini inde regis officiarii vel procuratores. Vectigalia autem ista per totum regnum indicebantur uno eodemque edicto in eamdem formam quam cœteræ leges enuntiato. Magno consilio in convocatione generali aderant præcipui tantum prælati baronesque. Hæc autem convocatio generalis multum differebat a concilio generali quod in Anglia magna charta instituerat. Rex enim non convocabat, ut eorum consilio niteretur, archiepiscopos, episcopos, abbates, comites, magnos barones et omnes qui quoddam in regno feodum a se tenebant; quosdam tantum prælatos et barones admovebat sibi, quos opinabatur suis propositis aurem pronam esse commodaturos, quorum assensu toto regno promulgabat edictum, unde vel nova lex oriretur vel inauditum vectigal, suæ nimirum potestati regiæ fidens eamque satis valere ratus ut imperata perficerentur.

Hæc adorto regi res multo melius successit quam præcedente sæculo Philippo Augusto similia fere conanti successerat. Unde manifestum est quam late processerit regia potestas in isto temporis intervallo. Fatendum est Philippum IV cavisse ne offenderet jura nobilium, quotquot erant, et cujusque dominorum privatim; imo dominis altam justitiam exercentibus quamdam partem æris collecti reliquisse.

« In existimatione bonorum cujuslibet non æsti-

mabitur aliquid quod teneatur in feudum nobile, quicumque teneat sive sit nobilis, burgensis, seu plebeus, quia feuda sunt eorum serviciis honerata. Nobiles, sive sint milites, armigeri, clerici, domini aut dominicellæ, nichil solvent de valore bonorum suorum mobilium nec etiam de capitali eorum nisi mercarentur. . . . . . Comites, archiepiscopi et episcopi, ubi habent altam justitiam, habebunt tertiam partem; omnes alii habentes altam justitiam in terris suis habebunt quartam partem. Et de dicta subventionis collecta gentes domini regis accipient partem domini regis et alii domini accipient suam. Et levabitur præsens subsidium cum minore gravamine, quod poterit, subjectorum. . . Et licet præsens subventio contradictionem habere non debeat, nihilominus tamen, si coactio sit facienda, fiet per hunc modum. Justiciarii nostri compellent in domaniis et justiciis suis; alii domini temporales, sint prælati, barones aut quicumque alii habentes altas justitias compellent in terris et justitiis suis. Gentes tamen domini regis erunt præsentes etiam ad ponendum collectores et ad sacramenta recipienda et ad receptas et ad computas et ad omnia alia facienda. . . . . Justiciarii domini regis et alii domini temporales compellent ad solvendum per captionem bonorum omnes clericos mercatores conjugatos et mecenicos; alii vero clerici qui vivunt clericaliter, nisi solvant, compellentur sine dilatione ad solvendum

per prælatos suos aut per sententiam ecclesiæ[1]. »

Hoc edicto, quod ægre ferebat, clerus apud papam questus est et ea fuit una de causis propter quas prodiit anno MCCXCVI, ante mensem augusti, celeberrima bulla *Clericis laïcos*, etc. Quod scriptum ad rem quæ agitur adeo spectat ut ejusdem insignes maxime locos ibi referre oporteat.

« Nos apostolica auctoritate statuimus quod quicumque prælati, ecclesiasticæque personæ, religiosæ vel seculares, quorumcumque ordinum, conditionis seu status, collectas, vel tallias, decimam, vicesimam seu centesimam suorum et ecclesiarum proventuum vel bonorum laïcis solverint, vel promiserint vel se soluturos consenserint aut quamvis aliam quantitatem, portionem, aut quotam ipsorum proventuum vel bonorum æstimationis vel valoris ipsorum, sub adjutorii, mutui, subventionis, subsidii vel doni nomine seu quovis alio titulo, modo, vel quæsito colore, absque auctoritate sedis ejusdem : necnon imperatores, reges, seu principes, duces, comites vel barones, potestates capitanei vel officiales vel rectores, quocumque nomine censeantur, civitatum, castrorum seu quorumcumque locorum constitutorum ubi libet et quivis alii qui talia imposuerint, exegerint vel receperint. . . . . Necnon omnes qui scienter dederint in prædictis auxilium, consilium vel favorem, publice vel oc-

1. Dupuy, *Histoire du Différend d'entre le pape Boniface VIII et Philippe le Bel*, Paris, 1655, in-f°, p. 14.

culte, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant. Universitates quoque, quæ in his culpabiles fuerunt, ecclesiastico supponimus interdicto[1]. »

Paulo post Bonifacius in gratiam rediit cum Philippo rege et bullam *Clericis laïcos* penitus emendavit bulla *Noveritis nos*, per quam regi licuit pro defensione regni subsidia de clero tollere.

« Adjicimus insuper hujus modi declarationi nostræ, quod, si præfatis regi et successoribus suis pro universali vel particulari ejusdem regni defensione periculosa necessitas immineret, ad hujus modi necessitatis casum se nequaquam extendat constitutio memorata; quin potius idem rex ac successores ipsius possint a prælatis et personis ecclesiasticis dicti regni petere ac recipere pro hujusmodi defensione subsidium vel contributionem, illudque ad illam prælati et personæ prædicti, præfato regi suisque successoribus, inconsulto etiam romano pontifice, teneantur et valeant sub quotæ nomine aut alias etiam impetrari non obstantibus constitutione prædicta seu quovis exemptionis vel alio quolibet privilegio sub quacumque verborum forma confecto, a sede apostolica impetrato : quodque necessitatis declaratio supradictæ ipsius regis et successorum suorum conscientiis, dummodo successores ipsi vicesimum

1. Dupuy, *Histoire du Différend*, p. 39.

ætatis annum exegerint, relinquatur, super quo dictorum regis et successorum conscientias onerari eisque innotescere volumus, quod quidquid recipi ultra ipsius defensionis casum contigit, in suarum recipient periculum animarun, sub quo nisi salubriter providere aut attendere potuerunt, in quo periculo remanerent[1]. »

Non secus ac edictum de solvenda quinquagesima hæc bulla satis plane ostendit in fine tertii decimi sæculi Franciæ reges id assecutos ut omnes faterentur sibi licere tollere auxilium pro defensione regni, ea tamen conditione quæ feodalitatis instituta referebat, scilicet ut domini justitiam altam possidentes in feodis suis auxilia perciperent et aliquam partem inde sibi retinerent.

Philippus IV secundam quinquagesimam collegit anno MCCXCVIII et iterum tertiam anno MCCCI, quamvis edicto primam instituente promissum fuisset id semel fore. Quæ cum bis terque exigeretur acerrime reclamatum est; multi nobiles multæque communiæ vehementissime doluerunt quibus datæ litteræ de eximendo præjudicio. Ideo post infelicem Cortoriaci pugnam Philippus novas rationes quæsivit comparandæ pecuniæ qua plurima egeret.

Cum Franciæ fines perrumperet hostis et regnum periclitaretur regi, licebat ad arma vocare quicumque valebant, seu nobiles seu, ignobiles essent vel in

1. Isambert, *Recueil des anciennes lois.*

baronum vel in domanio suo viventes. Etsi Flandrenses in regnum sane non introivissent, ea magnitudo cladis erat ut Philippus IV bannum et retrobannum ad arma vocari posse crediderit. In proximis Flandriæ balliviis omnes nobiles vel ignobiles viros baillivi convocaverunt, quotquot terram regis et dominorum laïcorum vel ecclesiasticorum incolebant. In remotis provinciis vocati sunt tantummodo qui quolibet orti genere substantiam aliquam possidebant. Secundum juris feodalis instituta, qui convocati non aderant pro militia negata mulctam solvere adigebantur. Credendum est horum, qui tali tempore sub signa vocati sunt, multis cordi fuisse in domo sua remanere, qui sane defecissent nisi mulctæ amplissimæ metus alia suasisset. Rex quum vellet inprimis pecuniam accipere delectui habendo et alendis copiis quæ pretio comparabantur, ex animorum ea voluntate lucratus est. Jussi sunt ballivi militia omnes eximere qui pro portione suarum rerum quamdam summam et saltem quinquagesimam solverent. Videtur hæc ratio bonum exitum habuisse; rex enim ea rursum usus est anno sequenti. Querelæ tamen de hoc, ut videtur, graves eruperunt, quippe anno MCCCIII rex jussit exactores suos quam modestissime agere cum populo eique lenibus verbis quæ vellet suadere. Præceperat ut hominibus sub signa vocatis dicerent illos qui redemptionis pretium solverent, periculis belli vitatis, rebus suis domi vacare posse securos. Vetabat im-

primis ne tale negotium tractarent in terris baronum, nolentibus ipsis, neve quid ex hoc jusso palam fieret; poterat enim id sibi magno esse detrimento. Barones videlicet his redemptionibus obstitissent, unde nullum fructum referebant, si compertum foret regem nulla vi usurum esse ut id cogerentur in suis finibus tolerare. Ballivi et legati mollissimis rationibus erant effecturi ut barones has finationes permitterent, quibus si quidam offenderentur, nomina corum rex ad se statim deferri jusserat ut scribendo posset horum flectere voluntates.

Verisimile est plurimos baronum noluisse has finationes fieri in terris suis; nam eodem anno, mense octobri, Philippus IV edictum de ea re protulit in modum quo præcedentes reges usi fuerant, cum legem ferrent per omne regnum accipiendam. Castrum Theodorici vocavit summos prælatos et barones regni : cum autem plures adesse non possent isti concilio statim ut necesse erat, edictum suum exaravit præsentibus tantum duodecim fere prælatis et baronibus, inter quos nominantur Narbonensis archiepiscopus et tres alii episcopi, item ambo fratres regis et quidam alii proceres. Omnes qui aderant rogavit Philippus rex ut sigillum suum scripto apponerent quo certius fieret sententia et assensu eorum factum esse. Hoc modo Philippus Augustus et, incipiente regno, sanctus Ludovicus leges edicebant quæ extra regale dominium vige-

rent. Attamen etsi omnia quemadmodum consuetudo poscebat perpensa et ordinata fuissent, prælati et barones, qui hanc ordinationem concesserunt, rati erant non esse suum imperare subsidium toti regno, plerisque absentibus quorum assensu id posset fieri. Etenim in edicto professi sunt auxilium illud esse gratiosum nec posse cuiquam in futurum esse præjudicio. Attamen in comitatu Tholosæ nobiles domini a rege petiverunt ut fateretur auxilium flandrense gratia speciali fuisse concessum nec sibi nec successoribus suis aliquid juris inde partum esse. Nempe clausula quæ in universum edicto fuerat inserta non erant contenti. Petitis annuerunt legati regis et propria quædam cum eis pacti sunt. In senescalliis Carcasonnæ, Biterrarum, Tolosæ et Albigesii consules et communitates acceperunt a regiis legatis litteras quibus constaret subsidium a se regi concessum esse liberaliter et gratiose, nec jus novum aliquod hinc esse regi comparandum. Similes litteras postulavernt ac receperunt barones Arverniæ et plerique domini laici vel ecclesiastici qui regnum incolebant.

Id ergo certum et in confesso est, ineunte quarto decimo sæculo, non jam esse licitum regi auxilia vel cujus libet modi pecuniam pro defensione regni tollere in terris baronum nisi eorum assensu. Quem ut sibi compararet rex legatos eligebat quorum industria omnes barones et bonæ urbes regni sponte sua reciperent edictum de tollendo auxilio, con-

sentientibus quibusdam prælatis ac baronibus promulgatum. Imo quo facilius concederetur facultas vectigalis percipiendi in terris baronum, quamdam ejus partem rex eis ultro condonabat majorem sane ea quam ipsi retinuissent, si per regios exactores ab hominibus suis auxilium non collectum fuisset. Non enim excidit memoria barones jus habere per suos præpositos in suis terris recuperandi ex consuetudine debita regi auxilia pro militia filii vel pro maritagio filiæ suæ partemque collectæ pecuniæ prælibandi.

In fine regni, quo tempore bellum cum tota Flandria suscipiendum esse videbatur, Philippus convocavit in concilium generale omnes dominos seu vassalos trium statuum vel ordinum regni, duces, comites, barones et milites, altam justitiam possidentes, prælatos et probos viros a capitulis et conventibus, a communiis et bonis urbibus deputatos, qui sibi adversus hostes opitularentur. Tales sane conventus jam antea rex ille fieri jusserat, sed aliis de causis. Domini laïci vel ecclesiastici, communiarumque procuratores debebant adesse regi in curia sua et ei consilium dare, quoties id poscerentur. Hoc ministerium reddere tenebantur ex consuetudine feudorum vassali domino suo capitali, atque reges persæpe, hoc jure usi, vocaverant ad se magnos illos conventus, quæ curiæ generales dicebantur. Nullus autem rex Francorum antea curaverat tantam multitudinem totius re-

gni vassalorum e tribus ordinibus in curiam convenire. Meridianis tamen in senescalciis Sanctus Ludovicus senescallis præceperat ut prælati, abbates, barones et communiarum bonarumque urbium procuratores congregarentur de communibus rebus finium suorum acturi.

Philippi IV ea laus est hanc consuetudinem quam latissime poterat produxisse. Fateamur tamen id fecisse coactum ob necessitatem certaminis cum summo pontifice suscepti. In fine anni MCCCI Bonifacius VIII Romam convocaverat concilium generale, ut finem imponeret injuriis quas a rege clerus accipiebat et res in hoc regno lapsas restitueret. Concilio generali catholicæ romanæque ecclesiæ ut responsaret, generale quoque concilium totius regni Franciæ rex sibi admovit. Ergo primis diebus aprilis, anno MCCCII, prælatos, abbates religiosorumque legatos, duces, comites, barones et dominos altam justitiam habentes, communiarumque et bonarum urbium procuratores, uno verbo fere cunctos trium ordinum vassalos, qui e regno Franciæ movebant, nobiles vel ignobiles, laïcos vel ecclesiasticos, Parisiis congregavit. Quid sentirent sciscitatus est ut dominus et amicus; quod autem responsum optabat accepit. Robertus Atrebatensis pro ignobilibus et nobilibus verba faciens asseruit omnes esse paratos ad faciendum rei vel vitæ periculum ut jura regis tuerentur. Anno MCCCVIII Philippus IV iterum convocavit vassalos

trium ordinum, quos consuleret de militibus Templi.

Primum anno MCCCXIV concilium trium statuum generale rex egit ut auxilium a vassalis peteret. Sed non vere deliberatum est. Inguerrannus de Marigniaco perlongam orationem habuit de periculis quæ Flandrenses regno intentarent et de pecunia qua rex egeret ad eos expellendos. Tum e parisiensibus burgensis, Stephanus Barbetta, regiæ voluntatis conscius, confestim asseruit omnes esse paratos ad auxilium regi ferendum pro cujusque facultatibus, ituros etiam quo ducere vellet, sumptibus quidem suis, adversus hostes. Rex conventui effusas gratias egit suosque vassalos statim dimisit. Nihilominus ex deliberatione sui consilii tulit auxilium pro exercitu Flandriæ. Hæc erat finatio pro redemptione banni et retrobanni non dissimilis ab his quæ fuerant exactæ anno MCCCIII. Barones autem et communiæ non sane judicaverunt esse satis valentem concessionem quam in nomine omnium regni vassalorum dederat in concilio generali Stephanus Barbetta atque, nolentes in finibus suis exigi, quæ iste burgensis parisiensis promiserat, pactiones inter se fecerunt quæ multo majorem regni partem complectebantur. Is fuit rerum status ut morti propior Philippus IV illius auxilii conquisitionem in posterum distulerit.

Incipiente regno Ludovicus X pro parte quadam

satisfecit vassalorum regni intercessioni et professus est : « Quod de cetero per se et successores suos in ducatu Normanniæ in personis aut bonis ibidem commorantium ultra reditus communes et servitia sibi debita, tallias, exactiones, subventiones, impositiones facere non posset, *nisi evidens utilitas vel emergens necessitas id posceret*[1]. » Litteræ datæ eodem anno MCCCXV nobilibus ducatus Burgundiæ testantur hanc esse sententiam regis, scilicet cum regno magni cujusdam belli moles impenderet tunc manifestam adesse necessitatem. « Feudales vero dictorum ducis (Burgundiæ), comitis Foresii et domini Bellijoci vel alios eisdem immediate subditos, nisi homines nostri fuerint, et religiosos in ipsorum terra et jurisdictione ac etiam garda immediate existentes, ad exercitus nostros venire vel pro eis financiam vel emendam nobis præstare nullatenus compellemus, nisi in casu retrobanni, in quo casu quilibet de regno nostro tenetur, dum tamen hoc de mandato nostro per totum regnum nostrum generaliter fiat, si necessitas fuerit generalis, si autem particularis fuerit et cum particulariter fieri poterit[2]. . . . . »

Ineunte quatuordecimo sæculo Francorum reges sibi paraverant jus auxilii legitime tollendi pro

1. *Ordonnances*, t. I, 552.
2. *Ibidem*, 557.

defensione regni, non modo in suo proprio dominio, sed etiam in terris vassalorum insignium, baronum, comitum ducumque. Sed ad vassalos illis recurrendum erat ut statuerent quo modo et qualem in formam subsidium illud perciperetur. Quod egerat Philippus IV anno MCCCIV exemplo fuit suis successoribus. Sæpe vassalos trium ordinum in concilium generale arcessiverunt deliberaturos de forma summaque auxilii quo esset opus. Sed res acriter fuit disputata atque reges sæpe in numerosis conciliis adversus vassalos enixe resistentes magnum certamen eluctandum habuerunt. Ut vim obnitentium vassalorum perfringerent, eos sæpe reges in privatis colloquiis per ballivias aut provincias congregatos consuluerunt. Longiora bella quæ Francia quatuordecimo sæculo sustinuit adversus Angliam annua fecerunt auxilia quæ pro defensione regni comparabantur. Reges qui suæ potestati vires et robur addiderunt non jam a vassalis quæsiverunt quatenus et quem in morem perciperentur auxilia. Ab anno MCCCLXX usque ad finem vitæ Carolus V per decem annos et ultra multa magnaque stipendia collegit auctoritate propria, nemine consulto. Sed turbæ quæ per totum fere Caroli VI regnum concitatæ fuerunt magnis vassalis antiqua jura retulerunt. In posteriori parte regni Carolus VII effecit ut regia potestas valentior esset quam ullo tempore fuerat. Quo vita functo, auxilium pro exercitu regis et pro defensione regni

versum erat in tributum consuetudinarium, quod ut toto regno colligeret regi non jam necessarium erat vassalos suos in consilium adhibere.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,

pridie nonas aug. anno MDCCCLXXXIII

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

A. Himly.

Typis mandetur

Academiæ Parisiensis rector

A. Gréard.

9101. — Parisiis. Ex typis A. Lahure, 9, via Fleurus.

PARISIIS, EX TYPIS A. LAHURE